DE INDO-EVROPAEA RADICE

*MEN-

„MENTE AGITARE"

THESIM PROPONEBAT FACVLTATI LITTERARVM
PARISIENSI

A. MEILLET

LVTETIAE-PARISIORVM
APVD AEMILIVM BOUILLON BIBLIOPOLAM EDITOREM
67 VIA DICTA RICHELIEU 67
MDCCCXCVII

DE INDO-EVROPAEA RADICE

*MEN-

„MENTE AGITARE“

THESIM PROPONEBAT FACVLTATI LITTERARVM PARISIENSI

A. MEILLET

LVTETIAE-PARISIORVM

APVD AEMILIVM BOUILLON BIBLIOPOLAM EDITOREM

67 VIA DICTA RICHELIEU 67

MDCCCXCVII

PROOEMIVM

Haec dissertatio non ad nouas etymologias demonstrandas instituta est, quas in re iamdiu optime perspecta et omnibus modis disquisita uix reperire possis, sed ad *morphologicas* indo-europaeae linguae rationes euoluendas et illustrandas. De radice **men-* enim, cum ii qui de uniuersa etymologia scripserunt multa disseruerunt, tum Ionas Babad libellum conscripsit (*De graeca radice* man- *cognatarum linguarum ratione habita*, Vratislauiae 1874); qui libellus et post uiginti et duo annos non indignus est qui euoluatur, non tamen ita ut ea quae pro tempore minus recte protulit nunc refellere oporteat; neque ulla alia causa erat eiusdem radicis iterum eligendae praeter dictionum quas praebet multitudinem, uarietatem et perspicuitatem. Hic nihil igitur anquirendum est, nisi quomodo in indo-europaea lingua ea omnia uerba seu uocabula cohaeserint quae e radice **men-* pendere dicuntur et quae indo-europaeae linguae addicenda sint, quae contra in unaquaque dialecto posterius inuenta. In huiusmodi quaestionibus non semel a doctissimis uiris peccatum est; ex. gr. Carolus Brugmann, *Grundriss*, II, § 618, p. 987 gr. αὐαίνω et lit. *saũsinu* componere uidetur, quanquam gr. αὐαίνω denominatiuum est, ex αὖος rite ortum (secundum τερσαίνω iuxta skr. *tṝṣṇā* „sitis“, zd. *taršnō*; cf. etiam ἰσχναίνω), et lit. *saũsinu* e *saũsas* (cf. *ìlginu*, *plãtinu*, etc.) natum esse nemo non uidet. Hic contra eae modo dictiones indo-europaeae linguae tribuentur quae et in pluribus dialectis extant neque in unaquaque earum separatim explicari possunt. Ad quam regulam quo constantius dirigeris, eo clarius apparebunt ea quae indo-europaeae linguae uere propria habenda sunt.

I DE RADICIS *MEN- SPECIE ET SIGNIFICATIONE

Radicis **men-* certi propriique fines imprimis distinguendi sunt quod ad assequendum aptissimae uidentur consonae (uel potius sonantes) *m* et *n* ac dictionum e radice ductarum significatio.

Namque, quod ad uocalicam rationem attinet, **men-* radix uulgatissimam formam exhibet, quam hic non minimam partem e Ferdinandi de Saussure libro adumbrare lubet *Mémoire sur le système primitif* inscripto atque e lectionibus quas in schola *Ecole des Hautes-études* dicta habuit.

Cuiusque fere indo-europaei morphologici elementi — radicis, suffixi, terminationis — uocalica pars una eademque uocali efficitur cuius uariae sunt figurae: *ĕ*, *ŏ* aut quae abicitur:

I	II	III
pĕt-	*pŏt-*	*pt-*
kĕs-	*kŏs-*	*ks-*

Si ante uel post uocalem ${}^{e}/_{o}$ extat una ex iis litteris quae *sonantes* uocantur (*y*, *w*, *r*, *l*, *m*, *n*), *e* uocali carens species alias praebet uocales, scilicet iuxta:

ei	*eu*	*er*	*el*	*em*	*en*
ye	*we*	*re*	*le*	*me*	*ne*

habes

i	*u*	*r̥*	*l̥*	*m̥*	*n̥*

seu ante uocales:

iy	*uw*	*°r*	*°l*	*°m*	*°n*

meramue consonam

y	*w*	*r*	*l*	*m*	*n*.

Utrum litterae *r̥*, *l̥*, *m̥*, *n̥* uere uocales sint an consonae *r*, *l*, *m*, *n* minimam uocalem excipientes (I. Schmidt, *Kritik der sonantentheorie*) non ad hanc disquisitionem interest. In morphologia igitur uocales *e*, *o* et *i*, *u*, *r̥*, *l̥*, *m̥*, *n̥* partes prorsus diuersas agunt, quoniam illae cuiusque elementi propriae et antiquae uocales sunt, ceterae autem fortuitae *e* uocali carentis speciei figurae. Denique duas uocales *ə* (skr. *i* = lat. *a*) et *a* (skr. *a* = lat. *a*) omittere licet quae peculiares partes agunt; de *a* uocali hoc tantummodo memoretur: si terminationes quasdam et pauca uocabula excipias e nulla radice pendentia (sicut skr. *devá*, arm. *taygr*, u. sl. *děverĭ*, gr. δαήρ, aut u. sl. *solĭ*, arm.

aλ, gr. ἅλς, lat. *sāl*) *a* in dictionum initio addi solet ut *prosthesis* (F. de Saussure, *Mémoire* pp. 280 sqq.; nonnulla exempla addita sunt *Mém. Soc. ling.* VIII 236 atque eorum numerum facile augeas).

Monosyllaba radix est *men-*, ut facile perspicitur. Disyllabae radices enim (si unam alteramue excipias quae *e* bis exhibet, ceu gr. κέλευθος, ἀ-κόλουθος uel skr. *bhiṣákti* „medetur", zd. *baēšaza-* „remedium") in *ə* desinunt, quod in linguis nonnullis (iranica, letto-slauica, armenia, germanica) abicitur; in debili forma *ə* cum antecedenti sonante commiscetur, ut „sonans producta" efficiatur; eodem modo iuxta skr. *drāghmā́* „longitudo", *drā́ghiṣṭhas*, zd. *drājō*, *drājištō* non indo-iranicum **drīghas* inuenias sed skr. *dīrghás* „longus", zd. *darəγō* (cf. u. sl. *dlĭgŭ*). Veram igitur radicis **men-* naturam agnoscas si skr. *mantā́*, gr. Μέντωρ, lat. *commentor* et skr. *matíṣ*, zd. *maitiš* cum skr. *janitā́*, gr. γενέτωρ, lat. *genitor* et skr. *jātás*, zd. *zātō* conferas.

Quae in radice monosyllaba extant alternationes uocalis $^e/_o$, eas talibus exemplis comprobes qualia sunt:

s. *rámate* gr. ἔρημος s. *ramayati* s. *rā́mas* s. *ratíṣ* —
lit. *remiù* lit. *rėmiaũ* lit. *ramýti* lit. *romùs* lit. *rìmti* lit. *rimus*
id est:

rem- rēm- rom- rōm- rm̥- r°m-

seu:

skr. *hánti ahanīt ghanás jaghána hatás* — *-ghnas*
sl. *ženą* — *goniti* lit. *-gonė* pr. *guntwei gunnimai* —
id est:

g_2*hen-* g_2*hēn-* g_2*hon-* g_2*hōn-* g_2*hn̥-* g_2*h°n-* g_2*hn-*.

In radice **men-* igitur ea extare possunt:

men- mēn- mon- mōn- mn̥- m°n- mn-

quae omnia inuenias:

lit. *menù*, skr. *mā́ṃsta*, lat. *monēre*, lit. *-mona*, skr. *matíṣ*, got. *muns*, gr. μνᾱ-.

In grammaticis formis fingendis *mn̥-*, *m°n-* et *mn-* idem ualent et unam eamdemque radicis speciem efficiunt, uocali $^e/_o$ carentem, ita ut quinque species distinguendae sint:

men- mēn- mon- mōn- { *mn̥-* / *m°n-* / *mn-* }

quarum unaquaeque eligitur pro grammatica forma fingenda,

uelut apud semiticas gentes tres illae uocales ă, ĭ, ŭ adhibentur uel etiam uocalis prorsus abicitur prout unam aliamue formam fingere uolunt.

Cum radicis *_men_- duae sint sonantes, _e_ uocali carentis speciei quartam figuram fortasse expectes: *_m̥n_-; non solum enim ante mutam uel _s_, _me_- et _ne_- debilem formam _m̥_-, _n̥_- praebent (ex. gr. skr. _náçati_ : _açnóti_; gr. μέχρις : ἄχρις) sed etiam ante alteram sonantem, ex. gr. got. _namo_ : u. sl. _jimę_ (e *_jĭmę_); gr. μύλλω : ἀλέω; etc.; neque ullius momenti est prosthetica uocalis quae in exemplis nonnullis reperitur, quoniam plerumque forma hac uocali praedita nihil est nisi _e_- uocali carentis speciei figura; quae contra disputat Ioh. Schmidt (_Kritik der sonantentheorie_, pp. 152 sqq.) et per se parum uerisimilia sunt et pronomine got. _uns_ iuxta skr. _nas_ satis confutantur; _nə_- quod iuxta _ne_- extitisse demonstrat Ioh. Schmidt (_l. l._ p. 81 sq.) formae _n̥_ nihilo magis obstat quam i.-e. *$dək_1$_m̥_- (arm. _tasn_ „decem") notissimo illi *(_d_)k_1_m̥tó_- (lat. _centum_); ante uocalem autem *_nr_- (et *n^or-) aut *_n̥r_- (cf. gr. δρ-ώψ et ἀρετή, u. hib. _nert_) existere poterant. Attamen figura *_m̥n_- non traditur et talium radicum prior sonans merae consonae munere fungi solet, ex. gr. semper *_mr̥_-, *_wl̥_-, nunquam autem *_m̥r_-, *_ul_- habes, non quo *_m̥n_-, *_m̥r_-, *_ul_- omnino extare non potuisse contendere audeas, sed quia in *_men_-, *_mer_-, *_wel_- atque in aliis eiusmodi radicibus _m_-, _w_- sonantibus semper pro consonis uti consueuerant Indo-europaei.

Quod ad formam attinet, tria igitur de *_men_- radice constant: 1. _n_ et imprimis _m_ radicis stabilem et propemodo immutabilem partem esse — 2. uocalem contra pro grammaticis rationibus uarias in species inclinari — 3. nullum _ə_ elementum post _n_ inueniri et radicem monosyllabam dici oportere. Quae omnia autem ad hanc radicem *_men_- definiendam et distinguendam longe non sufficiunt. Dictiones enim sunt plurimae quae, quanquam idem *_men_- radicale elementum praebent, tamen cum skr. _mányate_, lit. _menù_, lat. _meminī_ et ceteris talia significantibus non cohaerent. Namque ὁμοφώνους radices in indo-europaea lingua multas fuisse constat, ex. gr. *g_1_enə_- „gignere, nasci" (lat. _genitor_, skr. _janitá_) et *g_1_enə_- „nosse" (lit. _żénklas_), quae declinatione sola apud Indo-europaeos distinguebantur. Quas radices *_men_- significationum uarietate constituere cogimur, eas hic referre haud ab re est, plerasque

non apud omnes Indo-europaeos peruulgatas sed in tribus quattuorue dialectis tantummodo:

1. **men-* „manere“

gr. μένω (Μενεπτόλεμος), μίμνω (Μιμνόμαχος), μεμένηκα, Μενέσαιχμος, μονή, Παράμονος.

lat. *manēre* (e **m°nē-*, cf. *manus*, *canem*; ante *i* contra *in* habes: *cinis* [cf. gr. κόνις], *sine* [cf. u. hib. *sain*], *similis* [e **s°m°lis*; *simul* e **simil*, e **simili*], *sinister*; cf. *uolēbam*: *uelim*; *cauēre* e **kowē-* sed contra *ouis* ex **owis*). De perfecto *mansī* non est hic disserendi locus. De hac radice apud Celtas, cf. Stokes, in Fick, *Wört.*[4] II, p. 210.

arm. *mnam* „maneo“.

u. pers. *amānaya*, rec. pers. *māndan* — skr. *ámaman*. Significationum „mente agitare“ et „manere“ quicquam esse commune nulla mentis subtilitate efficere queas, quod iamdiu uidit Creeclius (apud I. Babad, *l. c.* p. 20). Itaque iure mireris a Carolo Brugmann, homine doctissimo et minime quidem incauto, arm. *mnaçi* et gr. μιμνήσκω coniungi (*Grundriss* II, p. 1033), cum eas duas radices iam indo-europaea aetate quamque suum locum obtinuisse constet. Si quis enim contendat ante indo-europaeam aetatem alteram significationem ex altera deriuatam esse, neque cum illo facere licet neque contradicere, quoniam id documentis comprobari non potest; ab historicarum rerum scriptore autem non ea disquiri oportet quae reuera facta sint sed ea sola quae e scriptis documentis erui queant; de rebus ad demonstrationem minus aptis cum philosophis disputare a philologica disciplina abhorret. Ceterum radicem **men-* „manere“ disyllabam fuisse e futuro gr. μενέω, adiectiuo μενετός uidetur elucere. Insuper **men-* „manere“ uel potius **menə-* una est e multis radicibus quae, e littera *m-* incipientes, fere idem significant (cf. de eiusmodi radicum cognatione Zubatý, *Sitzungsber. der böhm. ges. der wiss.*; *classe f. phil.* 1895, XVI, *Ueber gewisse mit* st- *anlautende wurzeln*): lat. *mora* — gr. μέλλω — u. sl. *mąditi* „tardare“, cf. fortasse skr. *mandas* „tardus, debilis“ — u. sl. *mudĭnŭ* „tardus“, *mŭdĭlĭnŭ* — gr. βραδύς, skr. *mr̥dúṣ* „tardus“ quae uocabula e skr. *mr̥dúṣ* „tener“, gr. ἀμαλδύνω, lat. *mollis*, u. sl. *mladŭ* merito separauit Bartholomae, *Idg. forsch.* III, 162 n.

2. **men-* „comprimere, conculcare"

Lit. *minù, miñti* — russ. *mnu, mjat'* : pol. *mnę, miąć*; etc. — Cf. fortasse arm. *manem* „neo, necto".

Id uerbum in nulla alia lingua uidetur repertum esse sed huic radici lubentius referas lat. *manus*, u. thiod. *munt*, ags. *mund* (iuxta **men-* „premere, prehendere" uelut gr. χείρ, arm. *jeṙn* iuxta skr. *hárati*, lit. *żeriù* et lit. *rankà*, u. sl. *ręka* iuxta lit. *renkù*) quam **mē-* „metiri" radici, quam nonnulli, ne una quidem analogia prolata, in hoc uocabulo inesse arbitrantur; quod ad confutandum satis est memorare in nominibus nullum extare suffixum i.-e. **-neu-*.

Cf. etiam lit. *mìnkau* „ich knete", *mìnkβtas* (P. Persson, *Wurzelerweiterung*, p. 75); u. sl. *mękŭkŭ*, *mąka* „farina" et *mąka* „cruciatus"; skr. *macate*, *mañcate* (*Pet. wört.*); att. μάττω, ἔμαξα, μέμαχα, μάκτρα, etc. — aeol. ματεῖ· πατεῖ, μάτεισαι (Saph.) — hom. μαίομαι, ἐπιμάσσασθαι, μάστιξ (e *μάστι-? Ψ 500), μάσθλη, μαστήρ μάστειρα. Graeci μαίομαι pristina significatio in multis uersibus nunc etiam perspicitur, ex. gr.

E 748 Ἥρη δὲ μάστιγι θοῶς ἐπεμαίετ' ἄρ ἵππους

ι 440 Ϝάναξ δ' ὀδύνησι κακῇσι
τειρόμενος πάντων ὀίων ἐπεμαίετο νῶτα

Ex ea deriuata est significatio: ζητεῖν:

ν 367 μαιομένη κευθμῶνας ἀνὰ σπέος

et denique ἐπιθυμεῖν:

ε 344 ἐπιμαίεο νόστου
γαίης Φαιήκων.

Graeci μαίομαι igitur cum radice **men-* „mente agitare" coniungendi nulla iusta extat causa. — Intensiuum μαιμάω longius distat quam ut hic de eo disputandum sit.

3. **men-* „eminere"

lat. *-minēre* (*ē-, prō-*), *adminiculum, mons, prōmunturium*, — *mentum*, cf. got. *munþs* (et gr. μάσταξ?) — De celticis formis u. Stokes, apud Augustum Fick, *Wört.*[4] II, p. 210. — Si gr. λόφος „collis" et „ceruix" conferas (et zd. *grīva* = u. sl. *griva*, cf. zd. *gairiš*, u. sl. *gora*?), fortasse adicias: skr. *mányā* „ceruix, musculus cucullaris"; u. thiod. *mana* „iuba", *menni* „colli ornamentum"; lat. *monīle*; u. hib. *muintorc*, cymr. *mwndorch* (Stokes, *l. l.* p. 216 sq.); gr. μάννος, μάνος, μόννος.

4. **men-* „paruum esse“

u. hib. *menb* „paruus“ — got. *mins* — lit. *meñkas* — skr. *manák* „paulum“ — arm. *manr* (e **menur*, *Mém. Soc. ling.* VIII, 164) — lat. *minimus*, *minis-* in *minister* (si id e **m°nis-* ducas; cf. *magis magister*; fortasse etiam *minor*, *minus* quorum loco **minior*, **minius* expectes?) — u. sl. *mĭnjĭjĭ* — gr. μανός (KZ XXXI, 444), μόνος(?) — Procul habenda sunt skr. *mináti*, gr. μινύω, lat. *minuō* — gr. μείων, e radice **mei-*.

5. **men-* „decipere“

u. hib. *mon* (Stokes, *l. l.* p. 217) — lit. *mõnai* — u. sl. *maniti* — gr. μεταμώνιος (et μωνιός· μάταιος, ἀχρεῖος; μωνίη· ὀλιγωρία). — Cum *t* consona: gr. μάτην, lat. *mentīrī* (nisi id e **mentum* uocabulo ducas, cf. *commentum*; is *mentitur* qui „commenta dicit“, cf. *insanire*, *superbire*, etc.), u. pr. *mēntimai*.

Attamen e sex his **men-* radicibus id uocabulum ducere non licet, quod „uirum“ uel „hominem“ significabat: skr. *mánuṣ* (cf. etiam *manáv ádhi*), genet. *mánoṣ* uel *mánuṣas*; dat. *mánave* uel *mánuṣe* — *mánuṣas*, genet. *mánuṣasya* — u. sl. *mąžĭ* — got. *manna*, genet. *mans*, dat. *mann*, acc. *mannan*. — Ea uocabula quae ad unam indo-europaeam formam adhuc redigi non potuerunt persaepe uiri docti e radice **men-* „mente agitare“ duxerunt, quod ueriloquium parum uerisimile uidetur esse quoniam et radicis **men-* propria significatio non eadem est quae francó-gallici uerbi *penser* in *animal pensant* et „homo“ deis opponi solet potius quam animalibus et pecori (scilicet: „terrestris“ lit. *żmogùs*, got. *guma*, lat. *homo*, uel „mortalis“ skr. *mártas*, zd. *marətan-* et *maṡya-*, arm. *mard*, gr. βροτός; dei contra ἀθάνατοι et ἐπουράνιοι habebantur). — Neque hodie quisquam Benfeyo assentiatur scribenti (*Gr. wurzellexicon* II, 34): „Dass zu dieser wurzel (*men-*) . . . . Μίνως n. p. gehört ist wohl keine frage“; cf. Lewy, *Die semit. fremdwörter* pp. 184 sqq.

Significatio igitur ad hanc radicem **men-* definiendam de qua hic agitur maxime ualet: *eiusdem radicis eae omnes dictiones habendae sunt quae, cum ex eisdem radicis litteris ducantur, significationis diuersitatem non maiorem praebent quam quae e suffixis et terminationibus efficiatur.*

Huius radicis **men-* duas significationes reperias: 1. „mente agitare, cogitare“ — 2. „mentionem facere, cogita-

tionem apud aliquem excitare." Quod minime mirum est, quia ea duplicitas in indo-europaeis radicibus multis uidetur, cum skr. *vártati*, got. *wairþiþ* nil nisi „uertitur" significent, imperatiuo *uorte* contra dupliciter utantur Latini: non solum enim *uorte aliquid* inuenias sed etiam *uorte hac* (apud Plautum) cf. Riemann, *Synt. lat.*[3] ed. Lejay, p. 200 sq., Wölfflin, *Arch. f. lat. lexic.*, X, 1 et sqq.); skr. *váhati* et „aliquid uehit" et „uehitur" (RV, III, 55, 18) significat, quod et a participio *uehens* non alienum est (cf. Delbrück, *Ved. synt.* § 120). Apud Graecos ipsos nihil ea re est exploratius, quam illustrant: φέρω, διαφέρω; ἔχω, οὕτως ἔχω (cf. apud Homerum ἑκὰς εἶχον [uar. lect. ἦσαν] μ 435); ἄγω, ἄγε; etc., u. A. Hildebrand, *De uerbis et intransitiue et causatiue apud Homerum usurpatis, Diss. phil. Halenses*, 1889); eam diuersitatem actiui et medii terminationibus magis perspicuam efficere solebant Graeci, praesertim in praesente: ἔχω, ἔχομαι; ita ut denique secundum ἔχω, ἔχομαι uerbi rationem e medio πείθομαι actiuum πείθω finxerint, e φαίνομαι φαίνω, e μαίνομαι μαίνω (F. de Saussure, *Mém. Soc. ling.* VII, 84 n.). Si eam ambiguitatem omittas quae huius **men-* non est propria, sed ipsarum omnino indo-europaearum radicum communis, facile perspicias hac radice „mentem moueri" significatum esse; cuiusuis autem generis mentis motus et agitationes ex ea nomen duxisse uel ad intellegendum uel ad cupiendum uel ad irascendum uel ad monendum spectantes (Babad, *l. c.* p. 19 sq.), quod, cum ex exemplis appareat infra in hoc libello congestis, nunc explicatius demonstrare taedet.

Recordandi notio quae hac radice persaepe significatur plerumque praefixis efficitur, sicut: lat. *re-miniscor*, cf. contra *com-miniscor* — u. hib. *cu-man* „memoria" Stokes, *l. l.* p. 336 — got. *ga-munan, ga-munds, ga-minþi* — lit. *àt-menu, at-sìmenu, at-menùs, at-mintìs* — u. sl. *po-mĭnėti, po-minati, pa-mętĭ*. — Lat. *meminī* proprie „in mente habeo" significat et, si slauicae grammaticae uocabulis uti licet, pro imperfectiuo perfectiui *reminiscor* habetur (de qua distinctione alibi disserendum est); itaque iteratiuum **rementor* non factum est, uelut iuxta *com-miniscor com-mentor* (cf. *Mém. Soc. ling.* IX, 55); quoniam, cum „perfectum" sit, iam „perfectam" cogitationem exprimit rei praeteritae potius quam rei quae fit „infectam". Apud Graecos cum μιμνήσκω „mentionem facio" significet et

μιμνῄσκομαι „mentionem in me ipse facio“, recordandi significatio e medii terminationibus uidetur pendere.

Si lubet radicis **men-* uim definite explicare, animaduertendum est hac unum e tribus actionum generibus significari; de quo u. Varronis *De ling. lat.* VI, 42 *„actionum trium primus agitatus mentis quod primum ea quae sumus acturi cogitare debemus, deinde tum dicere ac facere“*; eodem fere modo *Avesta* distinguit: *humatəm, hūxtəm* et *h(u)varštəm*; *humanō, huvacō, hušyaoþnəm.* Indi lubenter oculorum, aurium et mentis actiones simul memorant: *paçyan, çṛṇvan, manvānaḥ* (*Pet. wört.* sub *man-* n° 8). Cauendum est tamen ne barbaris hominibus explicatam et concisam illam cogitationis notionem tribuas quam philosophi eruere conati sunt, cum contra radicis **men-* ope nihil expresserint nisi interiorem quemdam impetum *materiae* motui similiorem quam *spiritus* (cf. p. 46 de graeci uocabuli μένος significatione).

Radicis **men-* usus in rebus ad deos spectantibus maxime dignus est qui memoretur. Quanquam enim nullius dei nomen in pluribus indo-europaeis linguis traditum est quin sideris (solis, lunae, etc.) uel caelestis cuiusdam rei (aurorae, diei, noctis, etc.) nomen sit, tamen in uariis linguis pristini deorum cultus extant uestigia, sicut uocabulum skr. *devás*, u. pruss. *deiws*, lat. *deus*, aut epitheta e quibus homines suum nomen duxerunt („terrestres“ seu „mortales“) dum deis opponebantur. Diuinum autem efflatum quem in aliquibus hominibus uerebantur Indo-europaei radice **men-* significatum esse ex indo-iranica et graeca lingua elucet; apud Herodotum enim reperias: ὑπὸ τοῦ θεοῦ μαίνεται IV, 79; *μάντις is est qui diuina mente refertus est, cf. skr. *múniṣ*; cf. etiam gr. μαινάς, μαινόλης, μαινολίς; skr. *mántras*, zd. *mąþrō* et skr. *manīṣā́*. Apud Graecos μανία non solum diuinum furorem sed etiam quemuis animi ferocem impetum, immo dementiam significabat, quod hellenicae dialecti proprium est. — Deorum nomina nonnulla ex hac radice saepe duxerunt docti homines (gr. Μοῦσα, lat. *Mineruа, Monēta*), sed ne unum quidem non incertum est; de Μοῦσα (dor. Μῶσα, lesb. Μοῖσα) u. Wackernagel, KZ. XXXIII, 571; quod nomen cum nulli aliarum dialectorum nomini respondeat a „comparatiua“ grammatica alienum est indagare.

De germanico **mōđ-* (got. *moþs* „θυμός, ὀργή“, u. thiod. *muot*, ags. *mód*) uix quicquam decernere possis; cf. fortasse

gr. ἔβη, skr. *gāt*; dor. βίβᾱτι, skr. *jigāti* iuxta zd. *jamaiti*, got. *qimiþ* — φαίνω, φημί (?) — πένομαι, πῆμα. Skr. *abhímātiṣ* „insidiae", *úpamātiṣ* „petitio" uocabula et radici *mā-* „metiri" uix addici possunt et e radice **men-* longius distant quam ut hic inter ceteras inter se arte cognatas dictiones accipiantur. — Graeci uocabuli autem μῆτις „sapientia" (cf. πολύμητις, ἀγκυλομήτης) significatio neque huic sanskritici *-mātiṣ* neque illi radicis **men-* conciliari potest. — De quibus omnibus rebus subobscuris minime proficit disserere.

Utrum radicis **men-* et aliarum similium affinitatem quamdam statuere deceat prorsus incertum est, cum significatio huic minime faueat in: skr. *máti* „metitur", u. sl. *měra* — gr. μέδομαι, arm. *mit*, lat. *medērī*, *meditārī* — lit. *matýti*, u. sl. *sŭmotriti* — gr. μελέτη. Longius etiam distant skr. *smárati*, „memorat" quaeque eius uerbi cognatae sunt dictiones in ceteris linguis, quoniam in **men-* nusquam *s-* litterae uidetur uestigium.

In hoc libello igitur de iis dictionibus disserendum est quibus cum eamdem radicem monosyllabam

$$m\,\genfrac{}{}{0pt}{}{e}{\genfrac{}{}{0pt}{}{o}{\underline{\ }}}\,n\text{-}$$

praebeant „motus mentis" significatur quarumque, ut supra dictum est, forma et uis non magis distant quam ut suffixis et terminationibus explicari possit earum diuersitas.

II DE VERBIS

Hic tantummodo de iis uerbis agetur quae e radice ipsa pendent. Id enim inter indo-europaeam linguam et recentiores ex ea ductas dialectos interest quod in his pleraque uerba aut ex aliis uerbis aut e uocabulis deriuantur, illius autem multa erant uerba quorum ne unum quidem ex alio quouis uidetur exortum esse sed omnia aequo iure communem illam partem praebent quae radix uocatur: quae uerba primitiua nominanda sunt. Unde radices originem ducant, utrum unquam propriam degerint uitam annon, id grammatici nihil interest; etenim re uera in indo-europaea lingua radices, suffixa et terminationes neque separatim existebant et tamen extitisse haud absurde dici possunt, quoniam in uariis dictionibus singula

multis modis commutabantur. Si quis igitur de radice **leik*^{w}*- disputat, nihil fingit nisi ea elementa *l*, (*e*), *i*, *k*^{w} communem cognatarum dictionum partem esse, quorum loco alia collocari poterant ante eadem suffixa et easdem terminationes ut alia significatio exprimeretur:

1. praes. gr. λείπω, lit. *lëkù* — aor. gr. ἔλιπον
2. praes. skr. *ricyáte* et *ricyate* — aor. gr. ἐλίπην
3. praes. skr. *riṇákti*, u. pruss. *-linka*, lat. *linquō*
4. aor. sigm. skr. *áraik*
5. praes. skr. *recáyati* (cf. lit. *laikýti* „tenere" factitiuum intransitiui *-lëku*, ex. gr. in *iſzlëkù*, *iſzlìkti* „übrig bleiben") — aor. lit. *lìko* (?)
6. perf. λέλοιπα, skr. *riréca*, cf. got. *laihw*
7. gr. λοιπός, u. sl. *-lěkŭ*
8. skr. *riktás*, lit. *lìktas*, lat. *-lictus*
9. skr. *-rikvan-*, lat. *-licuos* (?).

Talia indo-europaea aetate extabant, quorum plerorumque unaquaeque dialectus iacturam fecit, alia ita coniunxit ut dictio quaedam ex altera descendere uideretur (ex. gr. lit. *laikaũ* : *lëkù*), reliquorum cognationem prorsus obruit.

Quanquam ea omnia quae supra enumerata sunt uerba radici separatim addicenda sunt, tamen praesentis et aoristi formas simul proferre placuit, quia indo-europaea iam aetate ambarum communis erat significatio nec quicquam aliud inter eas differebat nisi hac meram actionem notari, illa autem actionem temporis quoddam spatium dum fit occupantem. Ea praesentis et aoristi coniugatio in plerarumque linguarum historia maximi fuit momenti et inde extiterunt uniuscuiusque uerbi in armenia lingua, in slauica, in baltica, in germanica, in latina duae stirpes, in multis uerbis diuersissimae. Sed cum haec praesentis et aoristi coniugatio in diem crescebat, tum ceterarum formarum cohaesio minuebatur, et in unaquaque lingua indo-europaeae abundantiae pauca permanserunt uestigia, quam tamen statuere oportet ut ea omnia explices quae in dialectis inuenis neque earum propriis legibus explicare possis. Neque tamen ea nimis multa uerborum genera hic enumeranda sunt quae Carolus Brugmann in suo *Grundriss* statuit, sed ea tantummodo quae et propria informatione et praecisa significatione distinguere licet.

1 DE VERBIS RADICALIBVS

De uerbis radicalibus ea imprimis notanda sunt:

α. Talibus uerbis aut pro praesentibus aut pro aoristis uti licebat; nonnunquam idem uerbum in alia indo-europaea lingua praesentis munere fungitur, in alia aoristi, ceu: skr. *jánati* (praesens), gr. ἐγένετο (aoristus); skr. *bhárati,* gr. φέρει (praes.), arm. *eber* (aor.). Ceterum ea distinctio quae nonnullorum praesentium et aoristorum uidetur esse (gr. λείπω : ἔλιπον) uix indo-europaeae linguae addici potest, quoniam et multa praesentia inueniuntur *e* uocali egentia (praesertim in letto-slauicis linguis) et multi aoristi *e* uocali praediti. Aptissime igitur id uerborum genus „aoristo-praesens" nominant.

β. Inter radices quae in pluribus linguis inueniuntur quaeque in communi usu uidentur fuisse pleraeque hanc formam in una aliaue lingua exhibent, aut pro praesente aut pro aoristo habitam; cum autem haec forma deficit, iusta causa eius iacturae non deest, quam saepe nunc etiam perspicias: ex. gr.: radicis $*g_1enə$- „noscere" nullum traditur huius generis uerbum, sed tantummodo ὁμοφώνου radicis $*g_1enə$- „gignere, nasci" eodem fere modo quo apud graecos μένω „maneo" extat, nullum autem *μένω „cogito"; radicis $*g^w eyə$- „uiuere" huiusmodi aoristo-praesens non seruatum est quia aoristo-praesentis munus acceptum est ἀνωμάλῳ uerbo: skr. *jīvati*, u. sl. *živą*, u. pruss. *gīwe,* lat. *uīuō.*

γ. Thematicae et athematicae stirpes in huiusmodi uerbis reperiuntur, non ita solum ut alia thematicam stirpem habeant alia athematicam, sed ita etiam ut idem uerbum aliam aliis in linguis formam acceperit, immo ambas nonnunquam in una eademque lingua: skr. *bhárti,* lat. *fert* : skr. *bhárati*, gr. φέρει (cf. Brugmann, *Grundr.* II, §§ 491 sqq., pp. 886 sqq.).

Sanskriticam athematicam stirpem **man*- „memorare", quae in paucissimis exemplis seruata est, pro aoristo habere licet, quia *manmahe* stirpi *manu-* addici oportet (atque etiam imperfectum *ámanmahi*). Tertiam personam *ámata* habes R̥V, X, 68, 7

> *bŕ̥haspátir ámata hí tyád āsām*
> *nā́ma svarīṇā́m sádane gúhā yát*

participium in R̥V, VI, 67, 10

> *ví yád vā́caṃ kīstā́so bhárante*
> *çáṃsanti ké cin nivído manānā́ḥ*

Cuius stirpis pro subiunctiuis habenda esse uidentur *manai* et *mánāmahe* (nusquam *manāmahé* ne in Ṛ̣V, IX, 41, 2 quidem), ex. gr. Ṛ̣V, I, 24

1 *kásya nūnám̐ katamásyāmŕ̥tānām*
mánāmahe cā́ru devásya nā́ma

. . . .

2 *agnér vayám prathamásyāmŕ̥tānām*
mánāmahe cā́ru devásya nā́ma.

De subiunctiuo sic usurpato cf. Delbrück, *Ved. synt.* p. 306. — Attamen propter imperfectum *mananta* (3ª plur.) in quo semel desinit in decimo *Ṛgvedae* libro *triṣṭubh* uersus quidam stirps thematica *mana-* statuitur; cf. posterius *āmanati* (*Pet. wört.* sub *mnā-*).

In *Avesta* stirps athematica *man-* significat „cogitare" atque aoristi munere in gāthis nunquam non fungitur, cuius duo tantummodo proferuntur exempla Y. 45, 3

yaþā īm mənāicā vaocacā

Y. 35, 3 *mainimadicā vaocōimācā vərəzimācā* (optat. aor.); fortasse etiam Y. 39, 4 *yaþā tū ī ahurā mazdā mənghācā vaocascā dāscā varəšcā.* In *Nīrangistān*, 25 contra *anu mainaiti* tertia persona praesentis indicatiui inuenitur, quod, cum hic liber recentior sit, minimi est momenti. De *məng* (Y. 48, 2) non liquet. — De gotico *munun* (3ª plur.) u. p. 40.

Stirpem praesentis thematicam **mene-* exhibent:

lit. *-menu* in: *atsìmenu* „reminiscor" (*aß to dar atsìmenu* „ich gedenke dess noch" Kurszat), *nusìmenu, ùžmenu* (*užmenu mį̃slę*), *ißmenu, àtmenu, prìmenu.* Simplex *menu* plerumque idem ualet quod skr. *man-* „memorare" (cf. Uljanov, *Značenija glagol'nych osnov*, I, p. 13, n.).

pol. *po-mionę, wspo-mionę* quod huc rettulerunt Zubatý (*Archiv f. slav. phil.*, XV, 497, n.) et Uljanov (*l. c.* I, p. 172); cuius uetus prima persona *spomienø, wspomienø* traditur (Psalt. flor.), postea uero *wspomionø* (Soph. bibl.), sed semper secunda: *wspomieniesz*, tertia *wspomienie*, etc. (u. Kalina, *Historya języka polskiego*, 349, 403, 410, etc.).

Ei subiunctiui quoque u. hibernicae linguae quos indicauit Thurneysen, KZ. XXXI, 78 sq. hic memorandi sunt.

De stirpe *e* uocali carente nihil constat. Vararucis grammaticus prākr. *muṇai*, id est **munati* „cognoscit, nouit" profert (de *-un-* cf. infra III, 4), quod fortasse e **m°neti* ducere possis;

eius uerbi exempla multa inuenias apud Jacobi, *Ausgewählte erzählungen in mâh.*, Lexicon, sub uerbo. [V. nunc *Idg. forsch.* VII, 80]. — Bezzenberger lit. *minu* memorauit (*Lit. forsch.*, Lexicon, s. u.). Pol. *pomnę* e *pomiene-* et *pomni-* facile explices.

2 DE PRAESENTE IN *-*ye*- (-ĭ-) ET AORISTO IN *-*ē*-.

Ea est huius radicis peruulgatissima forma:

	praesens	aoristus
skr.	*mányate*	def.
zd.	*mainyete*	def.
u. sl.	*mĭnitŭ*	*mĭnė* (inf. *mĭnėti*)
lit.	*min(i)*	*mìnė* (cf. *minė́ti*)
got.	def.	*munaiþ* (inf. *munan*)
u. hib.	(*far*)*muinethar* (KZ 33, 63)	def.
lat.	-*mini*-(*scitur*)	def.
gr.	μαίνεται	(ἐ)μάνη (μανῆναι)

Informatio distincte definiri potest:

α. Suffixo praesentis thematico utuntur indo-iranica lingua et graeca -$y^{o}/_{e}$-, athematico ceterae, lat. -ĭ-, lit. -ĭ-, u. sl. -*i*- (id est -ĭ-; non autem illud ĭ quod serbice ĭ factum est, sed hoc quod î nunc sonat; in russ. *déržit*, *er* (ex *r̥*) accentum seruauit, unde iam concludas ĭ uocalem non „asperam" (*gestossen*) sed „mollem" (*geschliffen*) fuisse [cf. lit. *gaidỹs*], P. Boyer, *De l'accentuation du verbe russe* in *Centenaire de l'Ecole des Langues orientales*, p. 456; cf. *Rev. crit.*, 1895, II, p. 171); de hibernica non liquet. — Aoristi suffixum -*ē*- statuere oportet, quod graeca lingua et lituanica aperte demonstrant; Slaueni pro suae dialecti solitis legibus *ch*/*š* litteram addiderunt e *bychŭ*, *byšę* sumptam. Eo pro praesente usi sunt Germani, quod minime mirum est, quoniam praesentis et aoristi notio apud eos (et apud Latinos) perfectiuis et imperfectiuis uerbis notabatur neque aoristus suam significationem seruauerat.

Lit. *miniaũ*, *mìnė* pro aoristo uerbi *menù*, *miñti* habetur; ex infinitiuo *minė́ti* ex eo ducto alter aoristus rursus analogia ductus est: *minė́jau*. Cum autem aoristus in -*ē* iuxta praesens in -*e*- contra analogiam sit (cf. tamen lit. *vẽdu*, aor. *vẽdė*, u. pruss. *weddē*; aut russ. *bêgu*, pol. *biegę* iuxta u. sl. *bėžati*), uetus radicis forma *min*- seruari potuit, uelut in *gemù* (cf. lat. *ueniō*, gr. βαίνω), *gimiaũ*, *gim̃ti*; *genù*, *giniaũ*, *giñti*; *vérdu*,

viriaũ, vìrti; *guliù, guliaũ, gulti*, neque *ė* uocalis peruulgata est (cf. *vemiù, vė̃miau, vémti*), quod in omnibus secundum analogiam formatis uerbis factum est. Attamen animaduertendum est aoristos in *-ė-* quibus iuxta praesentia in *-je-* (non in *-i-*) uti solent minime antiquos esse, cum non solum in slauicis linguis aoristos in *-ā-* (u. sl. *žiždą, zĭdachŭ*) sed etiam u. pruss. *kūra* „fecit" iuxta lit. *kùria* „facit" inuenias: aoristum igitur *vė̃miau* atque omnes huiusmodi pro antiquis habere non licet.

β. Aoristi radicem *e* uocali carere ex omnibus prolatis exemplis elucet: i.-e. **m°nē-*.

De praesentis uocali pleraque exempla aut nihil aut parum docent; imprimis indo-iranica, quoniam in ea dialecto **-enye-*, **-onye-* et **-°nye-* in *-anya-* confunduntur; tum lat. *-mini-* quoniam id *-i-* e quauis uocali originem ducere potest; deinde, ut uidetur, eae hibernicae formae (*domoiniur* „puto", *domointerso* „existimas", etc., „mit *-oin-*, *-uin-* statt *-ain-* wegen des anlautenden *m*", ut ait Thurneysen KZ. XXXI, 78 n.), quas enumerauit Strachan, *The deponent verb in irish* (*Transact. phil. Soc.*, 1891—4 pp. 459 sqq. et passim). Quae tamen omnia e **m°nye-*, **m°nĭ-* exorta esse possunt, ceteris linguis demonstrato: gr. μαινε-, u. sl. *mĭni-*, lit. *mini-*. — Cur graece μαίνεται sonet, non *μόνεται anquirendum est; post labialem consonam enim υ habes ante liquidam sonantem quam excipit *y*: φύλλον (e **bh°lyom*, cf. lat. *folium*), σφῦρα, φύρω (cf. lit. *beriù, berti* „streuen [von getreide, sand, asche, salz u. ähnlichem]" Kurszat; κόνει φύρουσα δύστηνον κάρα Eur. *Hec.* 496), ὀλοφύρομαι, μορμύρω (cf. u. sl. *mrŭmŭrją*), μοιμύλλω, πορφύρω (cf. skr. *járbhurīti*; sed δαιδάλλω, γαργαίρω), μύλλω (unde μύλος, μύλη), μύρομαι; analogiae tribuenda sunt: τεκμαίρω (cf. τέκμαρ), μαρμαίρω (cf. μάρμαρος), πάλλω (cf. πέπαλον, παλτός), σφάλλω, nisi id e *σφ$\underset{\circ}{l}$-νω ducis (cf. σφαλῆναι), χίμαιρα (cf. χίμαρος), ἀσπαίρω (cf. ἀσπαρίζω); e qua dictione exierit σφαῖρα nunc iam non perspici potest. Sicut igitur in φαίνω e φανῆναι, α in μαίνομαι e μανῆναι sumptum est (alias Osthoff, *Idg. forsch.* VI, *Anz.* p. 152).

γ. De praesentis accentu nihil constat. Gr. μαίνεσθαι enim communem omnium thematicorum praesentium accentum exhibet; skr. *mányate* e **manyáte* ducere possis, cf. enim *iccháti*:*gácchati*. Ceterum huius generis praesentium accentus duo locos habet: 1. suffixum, apud Indos in passiuis: *hanyáte* atque in paucis aliis uerbis: *mriyáte*, cf. lat. *moritur*; in multis letto-

slauicis: russ. *smerdít*, lit. *norįs*, *galįs* (sed *ne gãlite* Eu. Math. VI, 24). — 2. *praesuffixalem* syllabam: skr. *jíryati*, *páyate*; russ. *déržit*, *vídit*, *vértit*, *térpit* (Boyer, *l. l.* p. 450 sq.); lit. *tùrįs*, *ne tùr*.

Aoristi accentum praebet graeca lingua in μανῆναι, μανείς. E lit. *minėti* nihil concludere licet postquam F. de Saussure docuit ex antiquo **mìnėti* recentius *minėti* oriri oportere (*Idg. forsch.*, VI, *Anz.* pp. 157 sqq.); huiusmodi tamen aoristi in balticis linguis *ē* acuebant, quod et e u. pruss. *weddē* elucet et e compositorum accentu lit. *nè vedė* (cf. F. de Saussure, *l. l.* 160). I.-e. **m°nē-* igitur statuas.

b. Medii terminationes praesentis stirpis **m°nye-*, **m°nī-* esse solent, quae, cum et eaedem in stirpe **men-* usurpari soleant et actiui terminationes huius generis praesentibus non respuantur, ipsius radicis ui illarum usus efficitur, quia interiorem quemdam motum significat haec radix atque ea quae in intimo homine fiunt notat. Skr. *mányа-* nullas nisi medii terminationes habet; cf. etiam prākr. *mannamāṇo*, Jacobi, *Ausgew. erz.* 25, 13; iranici *manya-* tamen aliquando actiui terminationes uidentur fuisse: Y. X, 15; Yt X, 106 (de quibus cf. Bartholomae, *Arische forschungen* II, 66); Aog. 25 (*manya humatəm* iuxta 26 *mrūiδi hūxtəm* et 27 *varəza hvarštəm*); u. pers. *maniyāhiy* potius legas quam *maniyāhay*. Sed semper gr. μαίνομαι habes, u. hib. *do-moiniur* (quod maximi momenti est, quia deponentium in ea lingua numerus est minimus: Strachan, *l. l.* p. 537), lat. *-miniscor* (et *-mentor.*)

Graecus aoristus μανή- contra actiui terminationibus utitur; slauice igitur *mĭnją sę* et *mĭnéchŭ* expectes, quae uarietas non permansit neque reuera permanere poterat; nihilominus aequo iure *mĭnją* et *mĭnją sę* seruata sunt, ex. gr. in Euangelio: Math. XVII, 25 *čto ti sę mĭnitŭ* „τί σοι δοκεῖ“, sed L. XVII, 9 *ne mĭnją tako*; cf. etiam sine *sę*: Math. XXIV, 44 *vŭ nĭže ne mnite časŭ snŭ čskŭji pridetŭ*; Math. V, 17; L. XII, 51; XIII, 2, 4; I. V. 39, 45 (lit. *miniu* cur *s*(*i*) non habeat non mirandum est quoniam „memoro“ significat); cf. *bŭditŭ*, skr. *budhyáte*; *séditŭ*, gr. ἕζεται; etc. Eodem modo apud Latinos uetus praesens inuenitur deponens *morior*, sed contra e ueteribus aoristis actiua *sedeō* non **sedeor*, *licet*, etc.; *licetur*, *pollicetur* medii terminationes e **licye-* habent iam extincto sed quod propter *c* non dubitare potes quin extiterit; depo-

nentia *tueor* e *-tuor*, *medeor* e **mede-* (cf. gr. μέδομαι) sumpta sunt. Slauico *mĭnitŭ* igitur non efficitur stirpem *mĭni-* actiui terminationes quondam accepisse.

De sic informati uerbi usu et significatione hoc imprimis est animaduertendum, uerborum in **-ye-* (letto-slau. *-je-*, non *-ĭ-*) *e* uocalem in radice seruantium atque hic definiti generis uerborum uim maxime differre. Illa enim actum significant, haec contra statum (Uljanov, *Značenija*, I, p. 34); illa e uerbis nullius suffixi ope formatis uix distingui possunt, nisi fortasse intensiuam et iteratiuam uim eis tribuas (u. sl. *jemlją, dają, stają*), haec autem propriam et maxime distinctam exhibent significationem. Nonnunquam utriusque generis uerba ex una eademque pendent radice, sicut arc. δέλλω, ζέλλω „iacio": hom. -βάλλω „iaceo" (περιβάλλουσιν), cf. lit. *atguliù* (prioris **geliù* loco) „accumbo", *atgùliame, atgulti*: *guliù* „iaceo", *gùlime, gulė́ti* — skr. *háryati* „cupit": gr. χαίρειν, χαρῆναι; cf. lit. *ãvime* sed lett. *dujam*, u. sl. *ob-ujemŭ* apud Carolum Brugmann, *Grundriss* II, p. 1074. Quapropter lubenter credas gr. κτείνω, dor. κταίνω (et κτείνομαι, κταίνομαι) — φθείρω, dor. φθαίρω (et φθείρομαι, φθαίρομαι) e κτείνω „interficio": κταίνομαι „interficior" — φθείρω, φθαίρομαι orta esse, quia significationum uarietas terminationibus satis exprimi uideretur. Postea uero e medio καίομαι „uror" actiuum καίω „efficio ut uratur" deriuatum est et multa huiusmodi. Inter quae hic att. μαίνω „furentem facio" e μαίνομαι „furo" (quae una est apud Homerum significatio) memorandum est.

Skr. *mányate* plerumque „in mente habet" significat; absolute uelut in parenthesi: ṚV, I, 104, 7

ádhā manye çrát te asmā adhāyi

cum *íti* aduerbio, ib. VIII, 93, 5

yád vā pravṛddha satpate
nó marā íti mányase |
utó tát satyám ít tváa

cum accusatiuo, ib. X, 130, 6

páçyan manye mánasā cákṣasā tán
yá imáṃ yajñám áyajanta pū́rve

cum accusatiuo et altero accusatiuo priori relato, ib. VIII, 96,4

mánye tvā yajñíyaṃ yajñíyānām
mánye tvā cyávanam ácyutānām
mánye tvā sátvanām indra ketúm
mánye tvā vṛṣabháṃ carṣaṇīnám

Participium *mányamāna-* fere semper passiui uim habet, sicut ib., VI, 25, 5

nahí tvā çúro ná turó ná dhṛṣṇúr
ná tvā yodhó mányamāno yuyódha

aut ib., I, 178, 5

tváyā vayám maghavann indra çátrūn
abhí ṣyāma maható mányamānān

rarius finitum uerbum: ib. VIII, 4, 12

svayáṃ cit sá manyate dáçurir jáno
yátrā sómasya tṛmpási

Haec significatio e zendica lingua non aliena est; Vd XVIII, 28 *nmānəm hō manyaēta paradaþō..* „c'est comme s'il lui avait donné un palais....“ (J. Darmesteter). Sed plerumque ea inuenitur quae in sanskritica lingua est usitatissima, ex. gr. Yt X, 106 „opinor“ (absolute)

āaṭ azəm manya manaṅhō

cf. etiam Y. 45, 11

tarə mąstā yōi īm tarə manyantā
anyəng ahmāṭ yə hōi arəm manyātā

etiam cum genetiuo (cf. Delbrück, *Vergl. synt.*, I, § 149) Yt XIII 147

iδa āþravanō dahyunąm
manyente vaṅhəuš ašahe

Artae indo-iranicarum et letto-slauicarum dialectorum cognationis optimum documentum praebet slauici *mĭnją* significatio ususque; inuenitur enim: absolute in *Euangelio* L. XVII, 9 *ne mĭn'ją tako* (Zographensis: uelut omnia exempla quae hic enumerantur); — cum accusatiuo I. XV, 20 *pomĭnite slovo eže azŭ rěchŭ vamŭ* (cf. similiter I. XI, 13 *oni že mĭněšę ěko o usŭpeniji sii*[1] *ji sŭna gletŭ*) — cum accusatiuo et altero accusatiuo priori relato L. II, 44 *mĭněvŭša že i vŭ družině sąštĭ* — passiue (semper cum *sę* pronomine) L. X, 36 *kŭto*

---

1 deficit in codice Mariano.

ubo těchŭ trii jiskrĭnʼii mĭnitŭ ti sę byti; Math. XVII, 25 *čto ti sę mĭnitŭ* (e cod. Mar. quoniam cod. Zogr. hic deficit). Ea passiua uis quae etiam russici participii *mnimyj* uidetur iuxta non passiuum uerbum *mnit'sja* uel *mlêt'sja* „*dumat', pologat', imêt' mnênija o čem libo*“ (Dal') maxime digna est quae notetur, cum ex indo-europaea consuetudine loquendi exorta sit; cf. enim gr. δοκέω „credo“ et „uideor“. — Ex infinitiui stirpe *mĭně-* deriuantur *mĭněnĭje, sąmĭněnĭje,* quoniam in slauica lingua uocabula in *-nĭje* eum locum obtinent quem uocabula in -τις (-σις) apud Graecos. — Cf. etiam serb. *pòmnja* (*pòmlja*) „diligentia“.

Lit. *miniu* (e quo *mynia,* u. Kurszatii lexicon) nunc ex usu egressum in sexti decimi saeculi libellis non raro inuenitur, uelut *Cat. Daukß.* 7, 30 *slaptų́ pirm paminêtu*; 16, 21 *minime*[a] *io mêilę begâlę kurią túri prieß mus*; 6, 27 *minédamas téwa.* De eius uerbi significatione, u. Uljanov, *Značenija* I, p. 13. — Praeteritum *miniaŭ* iuxta *menù* ad hanc diem permansit; cf. *stenù* (e **steniu* et **stanu* commixtum, cf. u. sl. *stenją* et russ. *stonú*), inf. *stenëti,* praet. *stenëjau* (infin. *stenëti* ex aoristo **stenė-* exortum est); *gedù, gedëti* (cf. zd. *jaiδyeiti*), etc. et praesertim *kepù, kepiaŭ* (cf. skr. *pácati,* sed gr. πέσσω); *gemù, gimiaŭ* (cf. zd. *jamaiti,* skr. *gamyáte*); pleraque huiusmodi exempla (O. Wiedemann, *Das lit. prät.* p. 177 sq.) sic explicare licet.

Apud Germanos nihil nisi aoristum et eum quidem rarius inuenias: u. thiod. *fir-monēn* „despicere, condemnare“ (e **m°nē-*) in Otfrid III, 17, 55 *firmonēt thih hiar nu iaman?* (*nemo te condemnauit* I. VIII, 11) — ib. 57 *noh ih quad er firmonēn thih* (*nec ego te condemnabo* ib.) et got. *munai-* „μέλλειν“, L. XIX, 4 *usstaig ana smakkabagm ei gasehwi ina unte is and þata munaida þairhgaggan*; I. VI, 15; XIV, 22 et „βουλεύεσθαι“ I. XII, 10 *munaidedunuþþan auk þai auhumistans gudjans ei jah Lazarau usqemeina.* Cf. u. thiod. *wizzēn* „sapientem esse“ iuxta *weiz, wizzum*; et *kunnēn* iuxta *kann, kunnun.* Praesentis quod non permansit locum maximam partem occupauit aliud uerbum eodem modo informatum: u. sax. *thunkian,* ags. *þyncan,* u. thiod. *dunchan.*

V. hibernica exempla apud Strachan *l. l.* euoluas e quibus satis erit hic memorare: *domoiniur* „puto“, *domointerso*

„existimas", *dodmainetar* „qui putant hoc", *foraithminedar* „memorat", *ardamunethar feid* „qui ea ueneratur".

In latina lingua uelut in germanica (u. supra p. 16) uerborum in **-ye-* (lett.-slav. *-ī-*) tantummodo aoristus in *-ē-* solebat permanere et latini praesentis munere fungi: *licēre, fauēre* (u. sl. *gorěti*), *censēre, sorbēre, uidēre* (u. sl. *viditŭ*), *habēre, olēre* (gr. ὄζω ὀζήσω), *iacēre*, etc. Attamen propter *manēre* quod e radice graeci μένω, etc. pendet, **manē-* „cogitare" non seruatum est, sed e praesente *-mini-* stirps deriuata *-minisce-*, cf. *cupit* : *concupiscit*; *apitur, coepiō* (Plaut. *Men.* 960): *adipiscitur*; *sapit* : *resipiscit*; *facit* : *proficiscitur*; *oritur* : *aboriscitur*; *fugit* : *refugiscit*; — *sentit* : *persentīscit*; *dormit* : *obdormīscit*; etc. Eodem modo informata sunt: *re-miniscor, com-miniscor, e-miniscor,* quae omnia cum praefixo praedita sint „perfectiuam" uim exhibent; *reminiscendi* „imperfectiui" partes agit *meminī, comminiscendi* iteratiuum *commentor*; *eminiscor* parum usitatum est. *Reminiscor, comminiscor* et *eminiscor* quae simul inchoatiua et „perfectiua" erant actionem incipi significant: primum „recordandi", alterum „aliquid mente fingendi", tertium fere eamdem quam *comminisci* (cf. Varronis, *De ling. lat.* VI, § 44). *Comminisci* plerumque apud comicos poetas legitur qui eo ad mente fictas res indicandas utuntur et cum *mentiri* uerbo id uidentur coniungere, sed non modo „ementita" significat uerum etiam ea omnia quae inuenit mens, ex. gr. apud Plautum:

Asin. 102 *fabricare quiduis quiduis comminiscere*
Aul. 74 *neque iam quo pacto celem erilis filiae*
probrum propinqua partitudo quoi appetit
queo comminisci
Amph. 978 *fac Amphitruonem aduenientem ab aedibus*
ut abigas: quouis facto fac commentus sis.

Commentari quo et Cicero et multi alii usi sunt nihil significat nisi „cogitando, meditando aliquid inuenire", ex. gr. „*mimos commentari*" (Cic. *Phil.* XI, 6, 13); cf. id quod inter *commentum, commenticius* et *commentarius, commentatio* uocabula interest. — *Reminiscendi* nullum extat iteratiuum; imperfectiui munere fungitur perfectum *memini* et **rementus* participium nullum est, cuius *recordatus* locum occupat. De accusatiuo et genetiuo cum *reminiscendo*, cf. skr. *manuté*, gr. μιμνήσκομαι, etc.

Gr. μαίνομαι, ἐμάνην quanquam indo-europaeam huius uerbi figuram optime seruauit, propriam significationem accepit, quae e pristina longissime distat; cf. etiam μαινάς, μανία quae e μαίνεσθαι uerbo deriuata sunt; μαίνεσθαι significat „furere" et non solum de hominibus sed etiam de hasta dicitur (u. Hom. Θ 111; Π 75, etc.); cf. infra μένος. Optimum exemplum praebet O 128

μαινόμενε, φρένας ἠλέ, διέφθορας· ἦ νύτοι αὔτως
οὔατ' ἀκουέμεν ἔστι, νόος δ' ἀπόλωλε καὶ αἰδώς

Perfectum μέμονα etiam nouam significationem habet in Θ 413

πῆ μέματον; τί σφῶιν ἐνὶ φρεσὶ μαίνεται ἦτορ;

Quomodo μαίνεσθαι uerbi significatio sit commutata perspici non potest quoniam iam Homerus eo uerbo sic utitur uelut Attici; id modo conici oportet; μαίνεσθαι de eis dici solebat qui, cum sub deo essent, multa in mente habebant uel commentabantur, et βακχεύοντες erant; ac de deis quibusdam: μαινομένοιο Διωνύσοιο Z 132 aut Aesch. *Septem* 343

μαινόμενος δ' ἐπιπνεῖ λαοδάμας
μιαίνων εὐσέβειαν Ἄρης

Μαινομένου imaginem finxit Aeschylus *Septem* 497

αὐτὸς δ' ἐπηλάλαξεν, ἔνθεος δ' Ἄρει
βακχᾷ πρὸς ἀλκὴν Θυιὰς ὣς φόβον βλέπων.

Sed cur et quomodo μαίνομαι sic ad diuinum efflatum exprimendum quemdam aptatum sit nescitur (cf. infra skr. *manyúṣ*, p. 51). — E praesente μαίνομαι et aoristo ἐμάνην uniuersam declinationem duxerunt Graeci: perf. μέμηνα; actiuum μαίνω, ἔμηνα; fut. μανήσομαι; etc., quam hic memorare satis est.

3 DE VERBIS IN QVIBVS NASALIS INFIGITVR

Verba *n* litterae infixae ope formata aliam aliis in dialectis figuram ita exhibent ut neque eam uarietatem ad unitatem redigere neque indo-europaeum rerum statum certe reserare queas.

Quod ad formationem pertinet, e recentissimis disquisitionibus elucet **-ne-* quod in media radice infigi uidetur reuera inter radicem pristinam et suffixum quoddam uel iam ex usu egressum uel minus perspicuum infigi, sicut in:

lat. *uol-u-ō* skr. *vṛṇóti* (**vṛ-na-u-ti*).

In illo autem:

skr. *yu-n-ák-ti* lat. *iu-n-g-it*

quanquam **yeug-* iam indo-europaea aetate pro radice habebatur, antiquam radicem **yeu-* statui oportet, cui *-g-* suffixum additum est; cf. enim skr. *yáuti, yuvati* „iungit" (P. Persson, *Wurzelerweiterung*, p. 16); cf. etiam cum iuxta skr. *yáuti*: *yugám*, u. sl. *jigo* (boh. *jho*), got. *juk*, lat. *iugum*, gr. ζυγόν (et arm. *lowc*), tum iuxta skr. *yuyóti* „seiungit", *yucchati*, gr. λύω, lat. *luo*: lit. *láužiu* „frango", *láužau*, arm. *lowcanel* „soluere, dissoluere", got. *-lukan*, ags. *lúcan* „claudere", skr. *rujáti* „frangit" (?). Ex ipsa **men-* radice igitur, in qua nullam breuiorem radicem secernere possis, nullum *n-* infixo praeditum uerbum oriri poterat, sed e **mn-ā-* aut ex alia quadam forma. Reuera autem, cum in pluribus dialectis uerba extent quae huc referenda sunt, nullum indo-europaeae aetati necesse est tribuas et omnia huiusmodi uerba in unaquaque lingua separatim oriri potuerunt.

Significatio e germanicis et letto-slauicis dialectis praecipue cognoscitur, quae nasali praedita uerba formare non desierunt: pleraque enim inchoatiua in eis linguis sunt, quam significationem comprobant ceterae; neque scitur utrum suffixum **-ske-*, quod fere idem ualet, in quibusdam dialectis usurpatum sit, infixum *-ne-* : *-n-* in aliis, an **-ske-* et **-n-* suam quidque significationem habuerint. Armenia uerba denominatiua in *-anal* omnia inchoatiuam uim habent: *merjenal* (**merji-anal* e *merj* „prope"), *heṙanal* (e *heṙ-i* „longe"), *tkaranal* (e *tkar* „debilis"), *barjranal* (e *barjr* „sublimis"), etc.; huiusmodi uerba quae „aliquid fieri" significant quantum libet informare poterant. Graeca uerba in -άνω pleraque sunt inchoativa: ἱζάνω (Hom. Κ 92; Ψ 258, cf. ἵζει λ 449) — κευθάνω (Γ 453) — ληθάνω (η 221) — ἰσχάνω — οἰδάνεται (Ι 646, cf. ᾤδεε, ε 455) — καταδαρθάνω (cuius contrarium ἀνεγείρομαι, sed καθεύδειν uerbi contrarium est ἐγρηγορέναι, Plat. *Phaedo* 71 c d) — πυνθάνομαι (cf. πεύθομαι) — Ϝανδάνομαι (cf. ἥδομαι) — etc. — Immo et ea denominatiua uerba in -αίνω quae non e stirpibus in *-n-* deriuantur inchoatiuam uim exhibere solent (ex. gr. αὐαίνω, λευκαίνω, ἀγριαίνω, etc.), quam e uerbis in -άνω acceperunt. Cf. etiam apud Latinos *cubō*: *accumbō*; *attulam* (Naeuius, Pacuuius): *tollō* et apud Indos *bhájati* „partitur" : *bhanákti* „frangit". Persaepe uerbum *n* infixo praeditum et uerbum in **-ske-* in una eademque radice extant:

skr. *pṛcchati*, zd. *pərəsaiti*, lat. *poscō*, u. thiod. *forscōn*

(got. *hruskan* e **hluskan* et **furskan* conmixtum?): got. *fraihnan*; arm. *harçanem*, cum *-an-* et *-ç-* (e **-sk-*); cf. *(h)ayçanem* iuxta skr. *icchā́ti*, zd. *isaiti*, u. sl. *jiską*, lit. *ė̃ßkau*, u. thiod. *eiscōn* — gr. θρώσκω: θόρνυται; zd. *dvąsaiti* (a uetere tralatore *dbarēt* explicatum) lubentius **dvərəsaiti* legas, si *r* et *n* litterarum confusionem quamdam Avestae antiquis codicibus tribuere audeas; nonnulli *hū* genetiui loco *hūrō* legunt, sed uerisimilius est *hvąn* legere iuxta gāth. *hvəng* (cf. *Mém. Soc. ling.* IX, 379) — lat. *misceō*, u. hib. *commescatar*: zd. *minaš*, gr. μείγνῡμι — skr. *mūrchati* : u. sl. *mlĭknǫ* — skr. *hūrchati* : *hruṇāti* — skr. *vāñchati*, u. thiod. *wunsc* : u. isl. *unnan* — skr. *yucchati* : *lunā́ti* (cf. p. 24) — skr. *r̥cchā́ti*, *archati*, u. pers. *arasam*: zd. *ərənaoiti*, skr. *r̥ṇvati*, arm. *y-aṙnem* — zd. *šusaiti*: gr. κινέω, κίνυται — zd. *hvafsaiti* : u. sl. *sŭnq* — u. pers. *xšnāsātiy*, epir. γνώσκω, lat. *nōscō* : skr. *jānā́ti*, u. pers. *adānā*, got. *kunnan*, lit. *žinaũ* — m. thiod. *lūsche* : skr. *çr̥ṇóti*, u. hib. *ro-chluiniur* — gr. ἐνθύσκω· ἐντυγχάνω Hes. — lat. *hiscō* (cf. gr. χάσκω) : u. sl. *zinq*, u. thiod. *ginōn* (cf. gr. χαίνω, ἔχανον) — u. thiod. *wascu* : skr. *unátti* — germ. *haschen*: lett. *kampu* — lit. *tuzgiù*: skr. *tuñjati* — lit. *blizgù*, u. sl. *blĭsk-* : germ. *blinken* — lit. *driskaũ* : skr. *dr̥ṇā́ti* — u. thiod. *zusciu* : skr. *dunóti* — lat. *com-pescō* : skr. *pr̥ṇákti*. — Cf. etiam : gr. θνήσκω : arm. *meṙanim*; lat. *oblīuiscor* : arm. *moṙanam*; skr. *ucchati*, zd. *usaiti* : u. sl. *svĭnq*, lit. *ßvintù* et multa similia. Idem fere est u. sl. *mrŭznąti* iuxta *mrŭzėti* quod lat. *rubēscere* iuxta *rubēre*; etc.

Haec duo igitur uerborum genera simillimas significationes habebant. Quocirca non mireris si iuxta lat. *-miniscor* et gr. μιμνήσκω inuenias: skr. *manuté*, u. sl. *po-mėnq* (russ. *po-mjanú*), got. *ufar-munnon*, gr. μηνύω (dor. μᾱνύω).

Skr. *manuté* (quod uerbum indo-iranicae dialecto tribuas si cum Bartholomaeo, *Arische forschungen* II, 161, zd. *manaoþrīš* Y. 44, 5, cf. skr. *manótā*, *manotā́rā* in Ṛgveda, huc refers) duobus modis interpretari possis: **menutai*, cf. *tarute*, aut **m̥nnutai*, cf. *vr̥ṇóti*. Frustra enim contendit **-n̥n-*, skr. *-ān-* fieri Iohannes Schmidt uno exemplo nisus quod facile analogiae ope explices (*Kritik der sonantentheorie*, pp. 180 sqq.): **janā́ti* quod e **g_1n̥nā́ti* oriri oportebat in *jānā́ti* mutatum est quia, cum praeter *jñā-* nulla permanserit huius radicis figura e qua **ja-* explicarent, *ă* secundum ceteras eius-

dem radicis dictiones productum est; lit. *żénklas*, u. pruss. *ebsentliuns* modo figuram *$g_1$enə- seruauerunt (non autem u. hib. *ad-gén-sa*). Cur *-m̥m- skr. *-anm-* (*ganma*), *-n̥m- skr.- *anm-* (*hanmás*) fiant, *-n̥n- autem skr. *-an-* si roges, satis erit memorare *jātás* (e rad. *$g_1$enə-) et *dāntás* (e rad. **demə-*), quae simile quiddam habent. Quando quidem phonetica ratio non obstat quin *manuté* e **mn̥-nu-taí* explices, uix dubitare possis alteram interpretationem omittendam esse. Verbi *tarute, tū́rvati* enim simile alterum proferre non queas postquam *kuru* acute e **kr̥nu* explicauit Wackernagel (*Altindische grammatik*, I. p. XIX); cum *vr̥nóti* contra faciunt quae omnia enumerauit W. D. Whitney, *The roots, verbal forms* p. 213; neque tam raro uerborum generi tribui possunt *tanute* (= τάνυται), *sanóti* (cf. ἄνῡμι, ἀνύω, fortasse etiam arm. *hanem* „educo, traho“), *vanóti vanuté, kṣaṇóti kṣaṇuté*. — Skr. *manuté* idem fere significat quod lat. *-miniscor*, gr. μιμνήσκομαι:

1. cum accusatiuo, „commentatur“ R̥V, IV, 1, 16
   té manvata prathamám̐ nā́ma dhenóḥ

et similiter I, 84, 15 — IV, 5, 10 — VIII, 29, 10 — X, 138, 1.

2. cum genetiuo „reminiscor, memini“ R̥V, X, 2, 5
   yát pākatrā́ mánasā dīnádakṣā
   ná yajñásya manvaté mártyāsaḥ |
   agníṣ ṭád dhótā kratuvíd vijānán
   yájiṣṭho deván r̥tuçó yajāti

cf. V, 52, 15 — VI, 47, 29 — X, 12, 6. — Primae personae pluralis *manmahe*, *ámanmahi* habentur (I. Schmidt, *Kritik*, p. 165), quarum multa extant exempla:

1. cum accusatiuo pleraque, ex. gr. R̥V, VIII, 90, 3
   imā́ juṣasva haryaçva yójanā
   índra yā́ te ámanmahi

aut R̥V, V, 52, 3
   marútām ádhā máho
   diví kṣamā́ ca manmahe

cf. etiam *prámanmahe* et *vímanmahe*.

2. cum genetiuo R̥V, I, 30, 21
   vayám̐ hí te ámanmahi.

V. sl. *-mēnq* e *-męnq* ortum esse optime uidit Zubatý, *Archiv f. slav. phil.* XV, 497. n., cf. russ. *-mjanú. -mjánes*; u. boh. *-manu, -mienes*; u. sl. *-męnq* quod etiam profertur

e dialecto sumptum est in qua *-ęn-* non in *-ěn-* immutatum est. Slauica uerba in *-n^e/_o-* maximam partem ex indo-europaea lingua ducere non licet, cum antiquitus nasalis littera infigeretur, quod in *sędą, grędą, žęždą, obręštą, kręną* (cf. πυ-ν-θ-άν-ομαι), *vykną* (ex **u-n-k-n-e-*), *ręgną, sęgną, sękną* seruatum est. Sed uetera uerba interiore nasali praedita in uerba in *-n^e/_o-* immutata sunt: lit. *bundù* (gr. πυνθάνομαι), u. sl. *bŭną*; lit. *ßvintù*, u. sl. *svĭną*; lit. *limpù* (skr. *limpáti*), u. sl. *lĭną*; lit. *klinkù*, u. sl. *klikną*; lett. *múku* (skr. *muñcáti*), u. sl. *mŭkną*; ac similiter pristina uerba in **-neu-*: skr. *dhṛṣṇóti*, u. sl. *drŭzną* (cf. *drŭznovenŭ*). Itaque *-męną* non ex antiquo **-mĭnne-*, **-m̥nne-* ducas, sed e **mĭn-* (**m̥n-*), quod in *-mĭnėti* (iterat. *-minati*) erat, suffixo *-n^e/_o-* aucto (cf. Schmidt, *Kritik*, p. 141). — V. sl. *pomęnąti* „reminisci" accusatiuus sequi solet, sed nonnunquam etiam genetiuus: L. XXIII, 42 *pomęni mi* (Zographensis, sed *poměni mę* Marianus); cf. etiam cum *jako*: Math. V, 23 *poměneši ěko bratrŭ tvoi jimatŭ něčto na tę* (Zogr.) uel absolute: Mc. XI, 21 *ji vŭspoměnąvŭ Petrŭ glagola emu* (Zogr.).

Got. *ufar-munnon* in: Philipp. III, 14 *þaim afta ufarmunnonds* „τὰ μὲν ὀπίσω ἐπιλανθανόμενος" et ib. II, 30 *ufarmunnonds saiwalai seinai* „παραβολευσάμενος τῇ ψυχῇ". Huiusmodi uerba enumerat Brugmann, *Grundriss* II § 605, p. 978.

Gr. μηνύω (dor. μᾱνύω) e stirpis athematicae μᾱνῡ- tertia persona plur. act. μηνύουσι ortum est uelut δεικνύω e δεικνύουσι (cf. δείκνῡμι). Ea verba in -νῡ- pleraque ex aoristo informata sunt: δεικ-νῡ- radicalem partem δεικ- ex aoristo δεικ-σ- accepit; cf. ζευγ-νῡ- e ζευκ-σ- — κορεννῡ- e κορεσ-σ- — στρωννῡ- e στρω(σ)-σ- — κρεμαννῡ- e κρεμασ-σ- — θορνῡ- e θορε- (θορεῖν) — ὀλλῡ- ex ὀλε- (ὀλέσθαι) — ἀρνῡ- ex ἀρε- (ἀρέσθαι) — πταρνῡ- e πταρε- (πταρέσθαι) — ἄγνῡ- ex ἀκ-σ- — φράγνῡ- e φρακ-σ- — ὀμοργνῡ -ex ὀμορκ-σ- — ὀρνῡ- ex ὀρ- (ὦρτο) — ὄμνῡμι igitur ex aoristo ὀμε- (u. Kühner-Blass, *Gr. gr.* II, p. 501 sub uerbo) et στόρνῡμι ex aoristo στορε- ducas, quae aoristo-praesentia *o* uocalem in radice exhibent, uelut alia multa quae nequicquam abolere et ignorare omnes conati sunt (cf. *Rev. bourguignonne*, 1895, p. 220 et sq.); in ceteris exemplis in quibus ο ex υ alterius syllabae effectum esse contendit Iohannes Schmidt (KZ. XXXII, p. 377), reuera extat *r̥* post labialem consonam ante syllabam *o* habentem; ex. gr. ϝορθός, skr. *ūrdhvás* (cf. zd. *ərəδwa-*,

lat. *arduos*). Gr. πολύς i.-e. *o* habet iuxta *°l* sanskritici *purúṣ*, uelut lit. *kartùs*, got. *hardus* iuxta skr. *kaṭu-*, *káṭukas*. Stirpem μηνῦ- (μᾱνῦ-) igitur e *μασ-νῦ fortasse ducas, quod e *μανσ-νύ- oriri poterat, si aoristo ἐπεμήνατο (cf. infra) tantam uim tribuere audeas. Quae explicatio aeolico *μαννῦ-prolato quodammodo comprobabitur, obruetur contra si unquam inueniatur aeol. *μᾱνῦ-. Casu euenit ᾱ etiam in uocabulo quodam significationis prorsus alienae sed e radice **men-* orto μῆνις (μᾶνις) extare neque tamen horum duorum ᾱ quicquam esse commune euincas. — Graeco μηνύω non idem significatur quod sanskritico *manuté*, u. sl. *-mėnq*, sed quodammodo „factitiua“ (non „causatiua“, Uljanov, *Značenija* I, p. 50) uis exhibetur „indicare“, quam actiui terminationibus tribuas. — E μηνυ- uelut ex omnis graeci uerbi stirpe deriuata sunt uocabula: μήνῦμα, μήνῦσις, μηνῦτής, μήνῦτρον, etc.

4 DE AORISTO SIGMATICO ET FVTVRO

Aoristi sigmatici radicis **men-* exempla fere omnia in indo-iranica lingua extant; stirps **mans-* indicatiui et subiunctiui, *mas-* optatiui est:

indicat. — skr. *maṃsi*, *maṃsthās*, *mǎṃsta*, *amaṃsa*, *amaṃsata*; gāth. *mənghī*, *mənghā*; zd. *mąsta*. — gāth. *məhmaidī* igitur potius **məṅhmaidī* legas; *n* post *ə* excidisse parum mireris quoniam in pahlauica scriptura *u* e quo postea *ə* factum est (ut optime perspexit Andreas) et *n* simillimis litteris scribebantur, neque in codicibus nunc superstitibus ulla earum perspicitur diuersitas (cf. *Mém. Soc. ling.*, IX, 379).

subiunct. — skr. *máṃsai*, *máṃsase*, etc.; gāth. *mənghai*.

particip. *maṅhānō* Yt XIX, 47 et 49.

optat. skr. *masī-* in ṚV, X, 53, 4 *masīya*; magis placet etiam *masīṣṭa* quam *maṃsīṣṭa* ib. VII, 38, 6

ánu tán no jáspátir masīṣṭa

et *masīrata* quam *maṃsīrata* ib. X, 37, 5

táṃ no devá ánu masīrata krátum.

De *maṃsīmáhi* et *maṃsīṣṭhás* nihil decerni potest quoniam uersum incipiunt.

V. sl. *pomję̨sę̨* quod semel in Psalterio inuenias legit

Leskien (cum Geitlero) *pomjęnąšję* (cf. tamen I. Schmidt, *Kritik*, p. 141).

Apud Homerum legas Z 160

τῷ δὲ γυνὴ Προίτου ἐπεμήνατο δῖ' Ἄντεια
κρυπταδίῃ φιλότητι μιγήμεναι

quod posteriores poetae imitati sunt; ἔμηνα recens est; ἐμήνατο ex *ἐμανσατο explices, cuius αν elementa e μαίνομαι eo tempore sumpta sunt quo μαίνομαι uerbi significatio nondum immutata erat. Huius aoristi indo-europaeae aetati referendi nulla extat causa, quia graecorum uerborum in *-*ye*- uel permanserunt uel informati sunt sigmatici aoristi.

In ceteris dialectis aoristus **mēns*- neque superfuit neque superesse poterat quoniam tantummodo iuxta praesentia certi generis huiusmodi aoristi solebant permanere (ex. gr. lat. *uēxī* iuxta praesens radicale *ueho*).

Skr. *maṃs*- plerumque „memorare" significat et praesentis *manu*- aoristus uidetur esse sicut Ṛ V, I, 84, 17

kó maṃsate sántam índraṃ kó ánti

cf. I, 84, 18 — X, 26, 4—53, 4—86, 1—113, 10. — Aliquando *maṃs*- aoristo potius „uideri" significatur: ib. I, 175, 5

çuṣmíntamo hí te mádo
dyumníntama utá krátuḥ |
vṛtraghná varivovídā
maṃsīṣṭhá açvasátamaḥ

cf. I, 136, 7 — VI, 19, 7 — VII, 34, 3. — Praesentium *pari*-, *anu-manyate* aoristi sunt *pari*-, *anu--maṃs*- (ṚV, VII, 59, 3 — V, 46, 4 — VII, 38, 6 — VIII, 62, 11 — et AV. u. Whitneyi indicem). — In Avesta ubi praesens *manu*- non extat, *manh*- nihil est nisi praesentis *manya*- aoristus, ex. gr. Y. XXIX, 10

azəmcīt ahyā mazdā þwąm men'hī paourvīm vaēdəm

cf. Y. XLIII, 4, 5, 7, 9, 11, 13, 15, ex. gr. 4:

aṭ þwą mənghāi taxməmcā spəntəm mazdā.

Futurum *maṃsyate* recentius est quam *maniṣyate* quod in Ṛgveda semel legitur VI, 9, 6:

kíṃ svid vakṣyámi kím u nū maniṣye.

Futuro rarissime utebantur vedici poetae, ut quattuordecim modo exempla indicatiui ex Ṛgveda enumerare potuerit Avery (*Verb forms of the Ṛgveda*, JAOS. X, 262), pleraque

in *-isya-*. Plura exempla habet iam *Atharvaveda*; postea autem futurum magis magisque peruulgatum est et epici poetae nulla forma liberius uti solent. Apud Indo-europaeos contra tempus ipso uerbo non significari solebat, neque futuri ullum inuenias certum uestigium ultra indo-iranicae proximam dialectum, letto-slauicam, atque id ita ut balticae dialecti tantummodo futurum habeant, slauica autem nihil nisi unum participium: *byšęšte*, cf. lit. *búsiu*. — Futuri suffixi *-isya-* omnino nihil simile inuenias, quod non modo in disyllabis radicibus extat (*bhavisyá-*, *janisya-*, *sanisya-*) sed plerumque etiam in monosyllabis (*karisyá-*, *gamisya-*, *dharisyá-*, *naçisya-*, *patisya-* [non disyllaba radix est *pat-*: ved. *pátma*], *marisya-*, *vadisya-*, *sarisya-*, *stavisya-*, *svapisyá-*, *hanisya-*). Vocalis *-i-* in *-isya-* eadem uidetur esse quae in aoristi suffixo *-is-*; quae, cum et in zendica lingua maneat (*zāvisi*, gāth. *čivištā*) et in latina (*uīdistis*), non pro i.-e. *ə* sed pro i.-e. *i* habenda est.

Desideratiuum skr. *mīmāṃsa-* (A V. *amīmāṃsanta*, *mīmāṃsamānās*, *mīmāṃsámānasya*) hic memorare satis est, quoniam nusquam alibi reperitur.

5 DE ITERATIVO

Iteratiui et causatiui praesentium radicis uocalem in indoiranica dialecto differre ostendit Delbrück (*Idg. forsch.* IV, 132); de slauicis uerbis eamdem differentiam exhibentibus, cf. *Mém. Soc. ling.* IX, 143, e quo apparet in indo-europaea lingua, duo praesentium genera extitisse:

causatiua **pōteye-*
iterativa (uel potius intensiua) **pŏteye-*.

In sanskritica lingua ambo genera eamdem aoristi speciem exhibent: iter. *janáyati ájījanat*, caus. *svāpáyati ásisvapat*. De talium aoristorum causatiua ui, cf. gr. πεπιθεῖν, τετυκεῖν, πεφνεῖν, λελαχεῖν, τετμεῖν, πεφραδεῖν. In iteratiuis uero alia aoristi species indo-europaeae linguae tribuenda est, quam, quanquam nusquam satis perspicue seruata est, tamen discernere possis, ita ut statuendum sit: praes. **poteye-*, aor. **ptā-*. Nonnullos enim aoristos in *-ā-* exhibet graeca lingua: ἔπτᾶν, ἔτλᾶν, ἔδρᾶν atque e deriuatis perfectis (ex. gr. κέκμᾶκα), praesentibus (θνᾴσκω), aoristis (ἐπρᾶθην) alios non paucos statuas: κμᾶ-, πρᾶ-, πλᾶ-, τμᾶ-, δμᾶ-, θνᾶ-, κρᾶ-. Latina lingua

quae indo-europaeis aoristis et praesentibus promiscue utitur multas stirpes ex huiusmodi aoristis ortas habet, quales: *in-dīcā-re, ē-dūcā-re, lăbā-re, cŭbā-re, nā-scī* (?). In lituanica lingua uetus *-ā-* aoristus praeteritum tempus omnium praesentium dedit quorum mera radix stirps est: *lëkā-, lìko-*; in slauica aoristum (et infinitiuum) omnium praesentium in *-je-*: *zižditŭ, zīda* (*zīdati*); quibus stirpibus in *-je-* iteratiua uis nonnunquam inerat (cf. supra, p. 19). Lit. *bùvo* idem significat quod lat. *erat*. Quod huiusmodi aoristi in indo-iranica dialecto deficiunt non impedit quin eos indo-europaeae linguae tribuas; ea dialectus enim non solum et multa noua creauit et antiqua multa omisit, sed etiam non medium sed extremum locum inter dialectos occupat, quare eius auctoritas minuitur. Ex aoristorum et praesentium colluuione orta est noua praesentis species: gr. κλάω — skr. *tudāyáti, pruṣāyáti, mathāyáti, gṛbhāyáti* = zd. *gəurvayeiti* (u. pers. *grbāya-*); *a* in skr. *hvayati*, zd. *zbayeiti* e ceteris praesentibus sumptum est. Cf. etiam arm. *mnam* „maneo" (e stirpe **mnāye-*), *orcam* „uomo" (e **rugāye-*), *keam* „uiuo" (e **g₂iyāye-*, cf. zd. *jyā-*). — Radices in quibus *e* uocalem una excipit consona persaepe id *e* producunt: lat. *cēlāre* — u. sl. *mētati*, lett. *mētāt* (Rozwadowski, *Idg. forschungen*, IV, 410 — cf. *Mém. Soc. ling.* IX, 55); adde fortasse etiam gr. ἐγήρᾱ (γηράω, γῆρας). Secundum eam formam fictum est u. sl. *pominati* e *pominěti*, qua re nihil est exploratius; e *pominati* orta sunt russ. *pomín, pomínok*.

Praesentis **domeye-* (skr. *damáyati*) et aoristi **dmā-*, **dᵊmā-* (gr. δμᾱ-, δαμάζω, δαμάω) colluuione explicari possunt **domā-*, **domā-ye-*: lat. *domāre*, u. thiod. *zamōm*, quae uerbi species in graeca lingua et praesertim in balticis, germanicis, italicis linguis perhibetur; ex. gr. lat. *procāre* (*procārī*), lit. *praʃzaũ* — lat. *rogāre*, lit. *ražaus* — lat. *uocāre*, u. pruss. *wackītwei* (cf. lit. *sakaũ*) — lat. *fodāre* (Ennius), lit. *badaũ* — lat. *uorāre* (cf. arm. *keray* cum *e* ex *eker*) — lat. *forāre* (cf. antiquam formam uocali carentem u. thiod. *borōm*) — lit. *laižaũ*, got. *-laigon* — lit. *klausaũ*, arm. *loway* „audiui" — lit. *daraũ* (cf. gr. δράω, e δρᾱ-) — u. thiod. *warōm*, gr. ὁράω — gr. ποτᾶται (e **ποτεϳε-*, cf. indo-iran. *pătaya-*, et πτᾱ-) — κολάζω (cf. ἀποκλάς) — ὀπάζω.

Radicis **men-* causatiuum non extat. Skr. *mānayati*

„honorare“ cur e uocabulo *mánas* „honor“ deriuatum esse infitias eas nulla est causa. Zd. *mąnaya-* (id est *mānaya-*) nusquam nisi in *mąnayən ahe yaþa* „eum credideris“ (u. locos apud Justi, et fr. Tahmuras, 33); Y. 49, 2 *mānayeitī* subobscurum est; *mānaya-* e **mn̥naya-* perperam ducit Bartholomae, *Grundriss der iran. phil.* (pp. 42 et 79), cum *man-* monosyllaba radix sit neque quicquam sit unde *n̥* explices; optimo iure comparauit Horn pers. *mānistan* „similem esse“ (*Grundriss der neupersischen etymologie*, n° 967) sed quomodo id uerbum e radice **men-* pendeat non dicit.

Iteratiui praesens **moneye-* nullum nisi in ea dialecto quae maxime ad occidentem spectat inuenias: lat. *moneō*, *monēre*: de celtica forma, cf. Stokes, in Fick *Wört.*[4], II, p. 210.

Ne lat. *mŏnēre* causatiuis addicas uerbi species obstat: causatiui enim speciem seruauit *sōpīre*, cum *o* producto et *-ī-* suffixo (cf. u. sl. *gasiti*). Quod ad significationem pertinet, facile euincas eam a skr. *manuté*, gr. μιμνῄσκω, pol. *pomionę* minime alienam esse, quae omnia uerba nemo unquam causatiua esse contendit. Optimum exemplum habet Plautus, *Capt.* 396 *quae memini mora merast monerier.* Ceterum „iteratiuum“ nomen quod e slauica grammatica sumptum est ne in slauicis quidem linguis propriam eorum uerborum uim exprimit, sed uel potius ea „intensiua“ nomines et saepe nihil nisi actionem quamdam durare significant (Uljanov, *Značenija* II, p. 20 et pp. 132 sqq.). Velut Latini *monere aliquem*, *monere aliquid* atque etiam apud Plautum *ut moneatur semper seruos homo officium suom* (*Stich.* 58) habent Graeci ὑπομιμνῄσκειν τι, ὑπομιμνῄσκειν τινά, et ὑπομιμνῄσκειν τινά τι; duplex enim accusatiuus causatiuorum non proprius est neque unquam fuit; de skr. *çās-* cum duobus accusatiuis, u. Gädicke, *Accusativ im veda* 270 et Delbrück, *Vergl. synt.* I, p. 384 sq. Cf. etiam *docere aliquid*, *aliquem* et *aliquid aliquem* et διδάσκειν τι, τινά, et τινά τι. In nullo eius speciei latino uerbo causatiuam uim demonstrare queas: *fouēre* (cuius i.-e. *o* ante *u* e *ghʷ* ortum non in *a* mutatum est), cf. lit. *degù* “foueo“ et skr. *dáhati*; radice **dheghʷ-* non solum *uri* sed etiam *urere* significatur — *spondēre*, *tondēre* et praesertim *nocēre* „iteratiuam“ uel „intensiuam“ uim habent, non causatiuam — *torrēre* (cf. τέρσομαι) e **tr̥sē-* ducere et pro factitiuo habere possis (de

huiusmodi factitiuis cf. Uljanov, *Značenija* I, p. 278). Duplex accusatiuus et cum aliis quibusdam iteratiuis usurpatur: *cēlāre, rogāre, condōnāre.*

Cum uerbi *monēre* perfecti et participii declinatio eadem sit ac plerorumque uerborum in *-ēre* et post radicem uocalem breuem quamdam exhibeat (*monuī, monitus*), non liquet quomodo id uocabuli *Monēta* (*Iūnō Monēta*) ueriloquium comprobes quod apud Ciceronem, *De diu.* I, 101, euoluas; e *monendo* nullum participium **monētus* ducere possis; si quis enim *uiētus* proferat, facile respondeas id participium recentius esse et antiqui **uītus* locum occupare, quod e uocabulo *uītor* eruas et e uerbis *uītāre, in-uītāre, ē-uītāre* quae pro iteratiuis uerbi *uiēre* habere queas. Proprii nominis deae cuiusdam „plebeiam etymologiam" factam esse nemo miretur.

E *monendo* multa sunt deriuata latina uocabula: *monitiō, monitus, monitor, monitōrius* (omnia e participio *monitus*), *monumentum* et sine uocali post *n*: *monstrum mostellāria.*

Monumentum e *monēre monitus* uerbo exortum esse demonstrant et *o* uocalis radicis et uocalis post *n* seruata; Varro *monumentum* e *monendo* ducit, *De ling. lat.* VI, § 49 et sic definit: „cetera quae scripta ac facta memoriae causa Monumenta (*Monimenta* F f) dicta". Media uocalis plerumque *u* sonat ante labialem consonam quam excipiunt uocales *ĕ, ă, ŏ, ŭ* (non *ĭ*) si in antecedente syllaba extat *o* uel *u*: *documentum documen, uolumus, occupō, nuncupō,* genet. *aucupis* (ex **awicapes*), *contubernālis, contumēlia*; cf. tamen *Hecuba, tegumen, quaesumus.*

Monstrum e *monendo* suum *o* accepit; suffixum *-stro-* e *claustro, haustro* explicauit Osthoff (KZ. XXIII, 313 sqq.); *monstrum* tantummodo de „re mira, diuino prodigio" dicitur sed pristinam significationem tam artis finibus non contineri e deriuato uerbo *monstrāre* (imperfectiuo: Pl. *Curc.* 299) et *commonstrāre* (perfectiuo: ib. 301) maxime elucet: *monstrum* igitur id est quo aliquid monetur.

Ipse iteratiui aoristus **mn-ā-* in graeca lingua non permansit, sed ex eo deriuatum praesens et uniuersa declinatio ex eo praesente ducta quaeque uocabula ex huiusmodi uerbo exoriri poterant: μνώομαι (μνάομαι), μνήσομαι (μνήσω), ἐμνησάμην (ἔμνησα) — μέμνημαι (u. Kühner-Blass, *Gr. gr.* § 200 anm. 4)

ἐμνήσθην — μνῄσκεται — μιμνῄσκομαι, μιμνῄσκω (aeol. μιμναίσκω) — μνῆμα, μνήμων (dor. μνάμων magistratus nomen), μνήμη, μνημόσυνον, μνημοσύνη, μνημεῖον, μνημονεύω (μνημόνευμα etc.) — μνησίκακος — μνησιχάρη· ἡδονή — μνῆστις, ἀμνηστία, ἀμνηστέω, dor. ἄμνᾱστος — μνηστήρ, μνήστωρ, μνήστειρα — μνεία.

Denominatiuum μνάομαι „procus sum" (e *$g^{u}n\bar{a}$- „mulier", cf. u. sl. *ženiti*) e primitiuo μνάομαι optime separauit Osthoff KZ. XXVI, 326 — cf. Solmsen KZ. XXIX, 102. De uocalibus seu productis seu correptis apte disseruit G. Schulze, *Quaest. epicae* p. 367 sq.; cf. primitiuum δράω (ib. 365) sed denominatiuum τιμάω (τῑμάσω) in quo uelut in omnibus eiusmodi praesentibus ᾰ correptum est secundum denominatiuum φιλέω, φιλήσω.

Praesens **mnā-ye-* ex aoristo **mnā-* non solum a Graecis effectum est in *μνᾱ(*j*)ε- sed etiam ab Indis esse informatum uidetur: optat. *pratyāmnāyuṣ* (*Ṛgveda prātiçākhya*); *mnāyate* passiuum est; de **mnā-* aoristi ceteris sanskriticis uestigiis, cf. Bechtel, *Hauptprobleme*, p. 210; aoristi *amnasiṣuṣ* et ἐμνησάμην eodem modo informati sunt.

Medii terminationibus auctum μνᾱ-*j*ε- genetiuus sequitur et „reminisci" eo uerbo tum significatur: B 686

ἀλλ' οἵ γ' οὐ πολέμοιο δυσηχέος ἐμνώοντο

cf. skr. *manuté*, u. sl. *pomėnq*, lat. *reminiscor* et *memini*. Perfectum μέμνημαι „in mente habeo" etiam accusatiuus sequitur: I 527

μέμνημαι τόδε Fέργον ἐγὼ πάλαι οὔτι νέον γε
ὡς ἦν. ἐν δ' ὑμῖν Fερέω πάντεσσι φίλοισιν.

Actiui terminationibus auctum μνᾱ- factitiuam uim exhibet; aor. ἔμνησα, γ 211

ἐπειδὴ ταῦτά μ' ἀνέμνησας

praes. μιμνῄσκω, Ξ 167

ἀλλὰ 'Fέκηλος
πῖνε, καὶ ἄλλα παρὲξ μεμνώμεθα μηδέ με τούτων
μίμνῃσκ'· ἦ γὰρ θυμὸς ἐνὶ στήθεσσιν ἐμοῖσιν
ἄχνυται ὁππότε τις μνήσῃ κεδνοῖο Fάνακτος.

fut. μνήσω, O 31 τῶν σ' αὖτις μνήσω.

Praesens μνῄσκεται, id est μνα-ί-σκεται, praesentibus θνῄσκω, κλῄσκω et θρῴσκω simile est, in quibus, quanquam ex aoristi stirpe ducta sunt uelut βιώσκομαι ex ἐβίων, suffixum -σκε- athe-

matico suffixo *-i-* additum est uelut in *mini-scor* et zd. *yr-i-sa-* „expergisci"; cf. εὑρί-σκω, εὑρη- — ὀφλισκάνω, ὀφλη- — στερί-σκω, στερη- — κυΐ-σκω, κυη- — ἀλθί-σκω(?), ἀλθη- et ἀλί-σκομαι, ἁλω- — ἀμβλίσκω, ἀμβλω-. Plerumque non illo μνήσκεται sed reduplicato μιμνήσκεται uti solebant Graeci; cf. non solum κικλήσκω, ἀραρίσκω (aor. ἤραρον), ἀπαφίσκω (aor. ἤπαφον) sed etiam διδάσκω (cf. lat. *discō*), διδράσκω (ex aoristo -ἔδρᾱν = skr. *-adrām*), πιπράσκω (ex aoristo *πρᾱ-), βιβρώσκω (ex aoristo ἔβρων), γιγνώσκω ex ἔγνων, τρώσκω ex aor. τρω- quem e fut. τρώσω, praes. τρώω (cf. πλώω ex ἔπλω) eruas, τιτύσκομαι et λιλαίομαι, τιταίνω, νίσσομαι. De eius reduplicationis origine nihil satis constat, quae praesentibus addita nonnunquam uidetur esse. Sed cum ea omnia iam Homeri aetate perfecta extent et ceterae indo-europaeae dialecti uix unam aliamue similem formam praebeant, minime placet de tam incerta re disserere.

Praesentis **moneye-* (lat. *moneō*) et aoristi ****mnā-*** (gr. μνᾱ-) colluuione effectum est **monā-* (**monāye-*):

u. thiod. *manōn* (ags. *manian*), cuius exempla habeas: Otfrid IV, 30, 16 *manōt inan thes*; Tat. XI, 3 *inti gimanōt in troume* „et admonitus in somnis". Verbi *manōn* ui *formonēn* „obliuisci" in *formanēn* plerumque mutatum est. De deriuatis *manunga, firmanōd*, etc. nihil est memoratu dignum.

lit. *-manaũ, -manýti*, tantummodo in compositis: *į-manaũ* „ich verstehe" (cf. *įmanùs*), *nu-manaũ* „ich merke", *użmanaũ* „ich ersinne eine handlung", etc.; de uerbi lett. *manīt* „animaduertere" propria ui u. Uljanov, *Značenija* II, p. 22; cf. lett. *maneklis* „gaukelwerk". Huc referenda sunt lett. *atman'a, izman'a*, lit. *sumania* „consilium" (Leskien, *Bildung*, p. 313) et uerbum *mąstaũ*.

In arm. *imanam* „intellego", si *i-* praefixum separes (cf. *y-ar̄nem* „surgo", *y-argem* „honoro", *y-ardarem* „orno", etc.), restat *-manam* quod e stirpe **monā-ye-* uel **m°nāye-* ducas. Sed cum simplex **manam* non permanserit et praefixo *i-* in ceteris uerbis ante uocalem uti soliti sint ut *i* uocalis consona *y-* fieret, Armenii *imanam* ut *im-anam* intellexerunt et aoristum *imaçay, imaçaw* informarunt; unde exortum est *animaç* „inintelligibilis". Cf. etiam *imast* (*imasti, imastiw*) „mens, cogitatio, sapientia" (cf. *owrast* „negatio", *owranal*; *ar̄-agast* „uelum", *aganel*), *imastown* „intellegens", etc.

Iuxta balticum **manīti* non memorare non possis subobscurum uocabulum skr. *manīṣā́* (*manīṣín-*); cf. enim *ī* in skr. *agrabhīt*, *gráhītos*: u. Bartholomae, *Studien* II, 170 sqq. Ea duo uocabula quae simillima sunt debilem radicis figuram exhibent: *ṛjīṣá-*, *ṛjīṣín-* et *púrīṣam* „humor", *purīṣín-* (cf. lit. *pilù* „fundo", arm. *halem* „liquefacio"?); de *-an-* in skr. *manīṣā́*, cf. *çamāyáte* iuxta *gṛbhāyáti*, *muṣāyáti*, *mathāyáti*, etc. (u. infra p. 49). Skr. *manīṣā́* „cogitatio, preces, sapientia" instrumentalem in *-ā* saepe accepit, qui uocabulorum in *-yā* et *-tā* esse solet; ṚV. I, 61, 2

índrāya hṛdā́ mánasā manīṣā́
pratnā́ya pátye dhíyo marjayanta.

V. sl. *měniti* „memorare" e **moniti* explices iuxta *mīněti*; cf. *viděti*, *rěsiti*; *vŭskrīsną*, *vŭskrěsiti*; *mīgnąti*, *-mězīti*; lit. *sumìßti*, u. sl. *měsiti*; cf. etiam *poměnŭ*, *pomīněti*: *světŭ*, *svītěti*; *cvětŭ*, *cvītą*; etc. quorum secundum analogiam informatum est *cěstiti* e *čistŭ*. Sed fortasse etiam conferendum est germ. occid. **mainjan* „memorare" et „cogitare" (u. thiod. *meinen*, u. sax. *mēnian*, ags. *mǽnan*); u. hib. *méin* addidit W. Stokes, *Bezz. beitr.* XXI, 131; prākr. *meñati* etiam allatum est (cf. Wackernagel, *Altindische grammatik* I, p. XX) quod alii e **manyati* explicant. De eis omnibus nihil satis constat; uix tamen doctissimo uiro Noreen assentiaris contendenti in multis radicibus *ei* iuxta *e* inueniri, cuius rei multa quidem exempla attulit, sed ea pleraque minime perspicua et prorsus incerta (*Abriss*, p. 212 sqq.); ex. gr. got. *greipan* et skr. *grāhayati*, u. sl. *grabiti* non apte conferuntur quoniam germanico uerbo est *p* (e *b*) et sanskritico *bh*. Quae cum ita sint suspicionem non obruas germ. occid. **mainjan* e **manjan* mutatum esse, adiectiui **mainiz* (got. *ga-mains*, cf. lat. *communis*) ui; de significatione cf. lat. *com-mūnicāre* quod uerbum fortasse imitati sunt Germani a quibus multas latinas dictiones sumptas esse accepimus et rec. germ. *mitteilen*. De tam obscura re quicquam perniciter contendere non decet.

Denique propter significationis similitudinem u. pruss. *menentwey* (Cat. I; id est *mininintwei*) hic memorare iuuat in *thou ny tur schan emnen twaise deiwas ny anterpinsquan menentwey* „du solt den namen Gottes nicht unnützlich füren"; cf. *prei maian pominīsnan* (Ench. 41) „zu meinem gedechtnis" (*minisnan*

et *menisnan* Cat. II; *menisnan* et *menissnan* Cat. I). Ea est noua balticarum linguarum informatio.

6 DE PERFECTO

Perfecti **memŏn-*, **memn-* „aliquid cogitare et in mente habere" uestigia in omnibus dialectis seruata sunt in quibus omnino perfectum non uelut in letto-slauica dialecto atque in armenia obrutum est:

ved. *mamnā́te* (R̥V. VII, 31, 7), *parimamnā́the* (ib. VII, 93, 6)

zd. *mamne* (fr. Tahmuras 26 et fortasse 46), *mamnāite* (Y. 13, 4), *mamnūš* (participium; Yt 8, 39)

hom. μέμονα, μέμαμεν — μέμασαν — μεμα(F)ώς

lat. *meminī*, *mementō*

u. hib. *(ro)ménar*; casu apicem deficere in *dérmenmarni* „obliti non sumus" Ml. 64 a arbitratur G. Dottin

got. *man*, *munum*.

Quorum ne unum quidem in eis dialectis formari poterat et fere omnia contra analogiam in unaquaque lingua sunt ita ut ex indo-europaea lingua ducenda sint.

E graeco μέμονα et zd. *mamnūš* elucet actiui terminationes non defuisse sed et significationis causa et ceterorum huius radicis uerborum analogia medii terminationes in indo-iranica dialecto actiui terminationum locum pristinum occupasse; cf. etiam u. hib. *(ro)ménar*.

Perfectum skr. *mamné*, cuius duo exempla modo in R̥gveda seruata sunt, expulsum est denuo formato *mene* (secundum *yemé*, *sedúṣ*, *sepuṣ*, *sehānás*). Significatio eadem est quae praesentis *mányate*, perfecti propriae uis ratione habita; R̥V, VII, 31, 7

mahā́m̐ utā́si yásya te
ánu svadhā́varī sáhaḥ |
mamnā́te indra ródasī

cf. *ánumanyate* ib. IV, 17, 1

tvám mahā́m̐ indra túbhyaṃ ha kṣā́
ánu kṣatrám maṃhánā manyata dyaúḥ

Yt 8, 39 *yazamaide* . . . . *mamnūš* . . . . *paiti ərətəe* „nous sacrifions . . . dans la pensée d'arrêter . . ." (J. Darmesteter).

Hom. μέμονα proprie significat „μένος habeo" ex. gr. Φ 314

ἵνα παύσομεν ἄγριον ἄνδρα
ὃς δὴ νῦν κρατέει μέμονεν δ' ὅτε FίσιF)α θεοῖσιν

et recte interpretati sunt μέμονε· θέλει, ὁρμᾷ, καρτερεῖ, προθυμεῖται; K 235

τὸν μὲν δὴ ἕταρόν γ' αἱρήσεαι ὅν κ' ἐθέλησθα
φαινομένων τὸν ἄριστον, ἐπεὶ μεμάασί γε πολλοί.

Sed persaepe etiam „meditari" aut franco-gallice „avoir l'intention de" significat; Π 36

πῶς μέμονας πόλεμον καταπαύσεμεν ἀνδρῶν;

aut cum subiunctiuo H 435

διχθὰ δέ μοι κραδίη μέμονε φρεσὶν ὁρμαίνοντι
ἤ μιν ζωὸν ἐόντα μάχης ἄπο δακρυοέσσης
θήω ἀναρπάξας Λυκίης ἐν πίονι δήμῳ
ἠF' ἤδη ὑπὸ χερσὶ Μενοιτιάδαο δαμάσσω.

Participium μεμαώς „μένος habens" absolute usurpatur in permultis locis (ἐμμεμαώς in omnibus) ex. gr. H 24

τίπτε σὺ δ' αὖ μεμαυῖα, Διός θύγατερ μεγάλοιο,
ἦλθες ἀπ' Οὐλύμποιο, μέγας δέ σε θυμὸς ἀνῆκεν;

qui usus Iliadis fere proprius uidetur esse; uel cum infinitiuo (plerumque μάχεσθαι), E 135

καὶ πρίν περ θυμῷ μεμαὼς Τρώεσσι μάχεσθαι,
δὴ τότε μιν τρὶς τόσσον ἕλεν μένος, ὥς τε λέοντα,
. . . .
142 αὐτὰρ ὃ ἐμμεμαὼς βαθέης ἐξάλλεται αὐλῆς
ὣς μεμαὼς Τρώεσσι μίγη κρατερὸς Διομήδης

raro etiam participium genetiuus sequitur, uelut I 655

Ἕκτορα καὶ μεμαῶτα μάχης σχήσεσθαι ὀίω
P 181 ἀλκῆς μάλα περ μεμαῶτα
cf. P 185 μνήσασθε δὲ θούριδος ἀλκῆς.

Productum esse α in μεμαότες minime mireris quoniam μĕμᾰŏτες participio in dactylico uersu uti non possis; ea quae de μεμᾱώς Π 754 disseruit G. Schulze *Quaest. ep.* 366 n. uix comprobes.

Lat. *meminī* (cuius perfectiuum est *commeminī*) peculiarem in latina declinatione locum obtinet; quae enim perfecta Latini habent eis pro praeteritis uti solent, neque pristinam perfecti uim obseruant. *Meminī* contra eam uim etiamnunc clarissime praebet ac praesentis munere ita fungitur ut infinitiuus *meminere* (u. *Arch. f. lat. lexic.* X, 10) et participium *meminens* (quod memorat Seruius a Plauto usurpatum esse et *Mil.* 888

restituit L. Havet) ficta sint; cf. *ōdī*, *coēpī* (cf. *coepiō*, Pl. *Men.* 960). Plerumque *meminisse* significat „aliquid in mente reuocatum habere", aliquando etiam „memorare" ex. gr. *De bello ciu.* III, 108, 2 *eumdem Achillam cuius supra meminimus omnibus copiis praefecit.* — Cum ea sola singularis persona quae perfecti terminationem non mutatam seruauit medii terminationem exhibeat, minime mirum est latinum perfectum nusquam *o* uocalem habere sed ubique radicem uocali carere (u. V. Henry, *Gr. comp. du gr. et du lat.* § 292), ex. gr.: *tutudī*, skr. *tutudé* — *dedī*, skr. *dadé* — *stetī*, skr. *tasthé* — *pupugī* — *pepigī* — *tetigī*; *or* in *memordī* ambiguum est, *sc* in *poposcī* nouum; *on* in *spepondī*, *totondī* e *spondendo*, *tondendo* sumptum est (Lindsay, *The lat. lang.* p. 496 sq.). Perfectum igitur *meminī* e **memanei*, **mem°nai* ducere uerisimilius est quam e **memonai.*

Quanquam in ceteris rebus perfecti et infecti uerbi modi et tempora simillima sunt et cuique infecti uerbi tempori respondet simile quoddam perfecti, infectum uerbum tamen imperatiuum habet et participium quae in perfecto nulla sunt, id est:

		infectum uerbum	perfectum uerbum
I.	indicatiuus		
	praesens	*scribo*	*scripsi*
	futurum	*scribam*	*scripsero*
	praeteritum	*scribebam*	*scripseram*
II.	subiunctiuus		
	praes.-fut.	*scribam*	*scripserim*
	praet.	*scriberem*	*scripsissem*
III.	infinitiuus		
	praes.-fut.-praet.	*scribere*	*scripsisse*
IV.	imperatiuus		
	praes.	*scribe*	—
	fut.	*scribito*	—
V.	participium		
	praes.	*scribens*	—

Attamen perfecto-praesens *meminī* imperatiuum habet *mementō*, non praesentis quia „perfectum imperat nemo" (Varro, *De ling. lat.* IX, § 101), sed futuri, quae imperatiui species et in perfecto uerbo sua significatione non caret. Participium huius perfecti esse *memor* adiectiuum acerrime perspexit Michael Bréal

(*Mém. Soc. ling.* VIII, 45), quod uulgo e radice **smer-* ducere solent; **memnor-* enim e **memnus-* quin ducas nihil obstat: **memnuses* uidelicet **memneris* fieri oportebat, cf. *socerum*. skr. *çvdçuram*; sed *u* e nominatiuo seruari poterat, cf. *corporis* cum *o* e nominatiuo *corpus*; et rursus nominatiuus *o* accepit e genetiuo prioris *u* loco; **memnor-* quod phonetice permanere oportebat (I. Schmidt, *Kritik* pp. 131 sq.) in *memor-* immutatum est ut reduplicatio clarius appareret neue participii et ipsius perfecti **memanei* similitudo prorsus obrueretur. Cum autem ceterorum participiorum perfecti iacturam fecit latina lingua, *memor* quod seruatum est adiectiui munus accepit, nec tamen praecipuas uerbi *meminī* constructiones non seruauit (u. lexica). Ex eo ducta sunt: *memoria*, cf. *ualentia* e participio *ualens*, *constantia*: *constans*, etc.; *memorāre*, cf. *frequentāre* e participio *frequens*; *memoriter*; etc.

V. hib. *mén-* in *-ménar* (ex. gr. *doménar* „opinabar“ Wb. 3ᶜ, 8) non e **memn-* ducendum esse sed analogice secundum *-gén-* in *ro-génar* „natus sum“ et in *ad-gén-sa* „cognoui“ informatum docet Strachan, *Trans. phil. Soc.* 1891—4, p. 227.

Got. *man* „δοκῶ“ *munun* (et *gaman*); u. isl. *man* „memini“, *muno*; ags. *mon*, *munon* (de *ȝemunu*, *ȝemynest*, etc. u. Sievers, *Angelsächsische grammatik* § 423, Anm. 2) praeteritopraesentia sunt uelut lat. *meminī*; in eis igitur non *e* productum inuenias sed *-un-* ex **-ᵒn-*: cf. got. *skal*, *skulum*; u. thiod. *mag*, *mugun*; ags. *ȝeneah*, *ȝenuȝon*. Tertiam pluralis personam *munun* ex aoristi athematici forma **m°n̥ńt* ducas, qua effectum est reduplicationem abici secundum *wait*, *witun* (cf. skr. *véda*, *vidús*; gr. Ϝοῖδα, Ϝίσᾱσι); *was*, *wesun* (cf. arm. *gom* „sum“); cf. etiam ion. (Ϝ)οἶκα; de germanici praeteriti pluralis formis ex aoristis exortis memores: got. *laihwun*, cf. skr. *rikthās*, lit. *lĕkmì* — *bitun*, cf. skr. *bhet* — *kusun*, cf. skr. *ajuṣran* — *waurþun*, cf. skr. *avr̥tran* — *budun*, cf. skr. *abudhran* — u. thiod. *ruzzun*, cf. lit. *ráudmi*, skr. *róditi* — got. *bundun*, cf. skr. *badhānás* — *þaursun*, cf. skr. *tr̥ṣāṇás* — *ludun*, cf. skr. *ruhāṇas-* — u. thiod. *zigun*, cf. zd. *disyāt*, skr. 3ᵃᵐ plur. *diçanti* (unde *diçáti*) — et alia non pauca. Ea praeterita contra in quae non confluxerunt perfectum et aoristus reduplicationem seruauerunt sed uocalium mutatione „ablaut“ dicta carent: got. *haihait*. De *e* producto ante unam liquidam uel nasalem in got. *berun*, *qemun*, etc. iuxta *bundun*,

waurpun cf. lit. *gěriau*, *sěmiau* iuxta *sirgaũ*, *lindaũ*; talia quaedam ex usu radicum in unam mutam consonam exeuntium communi ducta uidentur esse: got. *setum*, cf. lit. *sėdmi* et lat. *sēdī*; e quibus imitatis exorta sunt cetera; praeterito-praesentia autem, cum proprium locum occuparent, pristinae declinationis nonnulla exempla seruauerunt. — Praeterito-praesenti *man* informatum est praeteritum „debile" *munda*, ex. gr. cum genetiuo, Math., XXVI, 75 *jah gamunda Paitrus waurdis Jesuis*. — E uerbo deriuata sunt ags. *mynie* „purpose, desire, love" et *ʒemyne* „memor"; u. isl. *munad*(*r*), *munođ* „wonne" (de suffixo u. Kluge, *Stammbildungslehre* § 135); etc.

APPENDIX DE GRAECO μανθάνω.

Eamdem radicem **men-*, consona *-dh-* auctam (P. Persson, *Wurzelerweiterung* p. 46), exhibent graecae dictiones:

μενθ- in μενθήρη· φροντίς — μενθηριῶ· μεριμνήσω, διατάξω — μενθήραις· μερίμναις.

μαθ-: aor. ἔμαθον — μαθη- in μαθήσομαι, μεμάθηκα, μαθητός, μάθησις, μάθημα, μαθητής, etc.

Praesens μανθάνειν ex aoristo μαθεῖν exortum est; cf. τυγχάνω e *τυγχω et *τυχάνω iuxta τυχεῖν; uide de huiusmodi praesentibus quae disseruit Thurneysen, *Idg. forsch.* IV, 78 sqq. — De *-dh-* consona radici **men-* addita, cf. hom. καταδραθεῖν, att. καταδαρθεῖν (unde praes. δαρθάνω exortum est) iuxta skr. *ní-drāti* (**-dr-ā-*), u. sl. *drěmlją*, lat. *dormiō*.

Vocali *e* carentem radicis speciem etiam in got. *mundon sis* „σκοπεῖν" habes (*mundrei* „σκοπός") et fortasse in gall. *mandu-* (H. d'Arbois de Jubainville, *Noms gaulois* p. 127 sqq.), **mondh-* in lett. *mûst* „erwachen", *mûdu*. — Cf. adiectiuum u. thiod. *muntar*, lit. *mandras*, *mandrùs* (et *mun̄dras*, *mundrùs*), u. sl. *mądrŭ*, quod locum obtinet quem iuxta **ménos* obtinere posset i.-e. **mn̥rós*; u. thiod. *muntar* uocali *e* carentem speciem exhibet quae adiectiuorum in *-ro-* esse solet: cf. u. sl. *bŭdrŭ*, lit. *budrùs* — gr. πικρός (de significatione cf. germ. *bitter*, lit. *kartùs*), u. sl. *pĭstrŭ* (cf. ποικίλος). Lit. *mandrùs*, u. sl. *mądrŭ* contra analogiam sunt, sed cf. got. *baitrs*: u. thiod. *bittar*; u. thiod. *heitar*: skr. *citrás* et quoque u. sl. *kratŭkŭ* (lit. *kartùs*), *cratŭkŭ*, gr. ὀχυ-ρός, etc. — Quod ad skr. *mándati* „iuuat", *mándate* „gaudet", *mandrás* „iucundus" attinet, significatio nimis

abhorret quam ut ea cum gr. μανθάνω, etc. coniungenda esse contendas.

Zd. *Mazdâh-*, skr. *medhā(s)-* „sapientia" (et *médhiras* „sapiens"; de uocabuli *medhā(s)-* declinatione, u. Lanman, JAOS., X, p. 552) non semel e **mn̥dh-tos-* duxerunt docti homines, e quo tamen skr. **maddhās-* habeas, sed nullum *medhā(s)-*; cf. enim skr. *addhā*, u. pers. *azdā* „monitum"; imper. *addhi, daddhí, viddhi, cikiddhí, mamaddhi* cum skr. *-ddh-* iuxta iran. *-zd-* uelut skr. *-tt-* iuxta iran. *-st-* (skr. *uttamá-*, zd. *ustəma-*); skr. *dehí* „da" et *dhehí* „pone" e quadam analogia nata sunt, fortasse ex **ehi* (*edhi* „es"), uel si quam aliam statuere malis.

Zd. *mązdazdūm* „intellegite" (Y. 53, 5; cf. *mənca daidyāi* Y. 31, 5) e **mans-* et *dā-* fortasse ducas uelut *zraz-dā* e **zrad-* et *dā-* (skr. *çrad-dhā-*, lat. *crēdō*), u. Caland, KZ. XXXIII, 461; *yaoždā-* „purificare", u. Bartholomae, *Grundr. der ir. phil.* I, p. 148; *aibigairyādaiþe* et *paitiricyādaiþe* (Y. XI, 17 G. = XII, 2, 3 Sp.; u. J. Darmesteter, *Traduction*), cf. etiam zd. *mąz-dra-*, *humązdra-*. Skr. igitur *mandhātá*, acc. *mandhātāram*, „pius homo" e **man(z)-dhātar-* ducendum est. Vocabulum **mans-* nihil est nisi ind.-ir. **manas-*, i.-e. **men$^e/_o$s-*, suffixi *-$^e/_o$s-* uocali carens (Wackernagel, *Altindische grammatik*, I, p. 77).

III DE NOMINIBVS

Hic tantummodo de eis uocabulis disserendum est quae ex ipsa radice **men-* informata sunt, minime autem de eis quae e uerbo quodam sunt deriuata; illa omnia iam indo-europaea aetate existebant, cum in recentioribus dialectis uocabula nulla nisi e uerbo aut ex alio uocabulo creata sint. Indo-europaei e radice **men-* et suffixo **-men-* stirpem **menmen-* duxerunt, quam seruauerunt skr. *mánma*, u. hib. *menme*; id **men-men-* non magis e uerbo pendet quam apud Latinos prima persona *amāmus* e secunda *amātis* uel infinitiuus *amāre* e participio *amātus* sed aequo iure nomen **menmen-* et uerbum **m^{o}nye-* communi parti, radici **men-*, referuntur, uelut lat. *amamus, amātis, amāre, amātus* communi parti *amā-*. Graeci contra idem suffixum uerbali stirpi μνᾱ- aptarunt et μνᾶ-μα informarunt uelut φίλη-μα e φιλη-; similiter Latini e uerbo *moneō*,

monitus finxerunt *monumentum*; quae omnia recentius informata hic respiciendi non est locus.

Horum uocabulorum quae ex ipsa radice ducta sunt nonnulla suam pristinam uim seruauerunt; ex. gr. skr. *mánas*, zd. *manō*, gr. μένος; alia autem uerbalem quamdam uim acceperunt atque pro participiis (skr. *matás*) uel pro infinitiuis (lit. *miñti*) usurpari poterant; alia cum uerbis minus arto uinculo coniuncta sunt, ita tamen ut uerbalia praefixa acciperent, ex. gr. skr. *matíṣ*; *prámatiṣ*, *prámanyate*; *átimatiṣ*, *átimanyate*; *ánumatiṣ* (zd. *anumaitiš*), *ánumanyate*, etc. Praefixa uocabulis addita in omnibus dialectis inuenias, et fortasse iam indo-europaea aetate sic usurpari coepta esse credas; sed pleraque talia exempla in dialectis separatim exorta esse uerisimile est. Ea uocabula quae uelut skr. *manyas*, *punarmanyás* „rursus memor" et *mananam* „cogitatio" (cf. Lindner, *Altind. nominalbildung* pp. 39 sqq.) facile in sua dialecto explices neque in aliis dialectis habes neglegere decet nec de subobscuris uocabulis qualia sunt ved. *mananá*, *manánā(ḥ)* hic disputandum est, quae indagare uedicarum rerum scriptoris est. — Similiter utrum u. sl. *myslĭ* radici **men-* addicere oporteat annon non constat, quod fortasse e **mon-* et suffixo *-sli-* ducas (cf. u. sl. *gąslĭ* [e **gąd-slĭ-*], *jizraslĭ*, *jasli*), *-on-* in **-ŭn-*, *-y-* ante *-sl-* mutato (?); e quo lit. *mislìs* „cogitatio", *mìslyti* (et *mįslė* „aenigma") esse sumptum uidetur cum uocali *i*, non *y* propter *miñti* (?); quae omnia in ambiguo relinquere decet, cum indo-europaeae grammaticae non referant.

1 DE NOMINIBVS RADICALIBVS

De i.-e. thematico **mono-* haud sine causa ambigi potest cum simplicis uocabuli uestigia fere nulla extent et composita cum praepositionibus plerumque inuenias: lit. *išmanas* „verstand" (Leskien, *Die bildung der nomina*, p. 171) et adiect. *-manùs* (*numanùs*, *primanùs*, *išmanùs*, *sumanus*, ib. 250) quod e *-manas* commutatum uidetur esse — got. *gaman* „κοινωνία, μέτοχος", u. thiod. *gaman* „gaudium" — zd. *upamanō* (saepe); *anumana-* (ἅπαξ); simplex *mana-* fortasse in quibusdam locis reperitur quorum de significatione ambigitur (Y. 32, 1; 35, 9; 12, 3; 71, 3); zd. *mainya-* etiam subobscurum est. Ved. *maná* — de

quo u. I. Schmidt, *Pluralbild.*, p. 139 — (cf. u. thiod. *firmana* „obliuio“, lit. *atmana* „memoria“ Szirwid) quid proprie significet difficile est stabilire, quod RV, I, 173, 2 et IV, 33, 2 idem fere uidetur ualere quod *manīṣá*; ex eo exortum est *manāyati* „pius est“ (partic. *manāyán*), postea autem adiectiuum *manāyúṣ* „pius“ (Lindner, *Altind. nominalbild.*, 63).

Skr. *sumnám* „beneuolentia“ quin radicis **men-* sit non debebat dubitare I. Schmidt, *Kritik*, p. 123; cf. *sumatíṣ*, *sumánās*, *sumánmā*; zd. *humanō* contra significat „bene cogitare“ et *humatəm* „bene cogitatum“; de *humnəm* in Avestae fragmento (Westergaard IX) nihil certi proferri potest. Quod ad *-mn-* in compositi uocabuli altera parte usurpatum attinet, cf. skr. *tuvi-grás*, *ā-prás*, *go-ghnás*, zd. *upa-smō* „subterraneus“ (F. de Saussure, *Mémoire sur le système primitif* p. 228, n. — G. Schulze, *Quaest. epicae* pp. 497 sqq. etc.). Quidam huc gr. ὕμνος attulerunt, quod nec significatio commendat nec gr. ὑ- = skr. *su-* cum Graeci praefixo εὐ- uti soleant. Ipsos Indos uocabuli *sumnám* (et postea *sūmnam* KZ. XXXI, 45) ueriloquium iam latebat cum *suṣumnás* „beneuolens“ informarunt. E *sumná-* exorta sunt *sumnayán* (stirp. *sumnayánt-*), *sumnayúṣ*, *sumnayā́* et *sumnāyán* (stirp. *sumnāyánt-*), *sumnāyúṣ*, *sumnāvárī*. — Sl. **po-mĭnŭ* hic memorare decet in pol. *pomny* „denkend an etwas, eingedenk“ et „denkwürdig“ (Linde, apud quem exempla legas), serb. čak. *poman*, *pomni*, serb. štok. *pòmnjiv* (*pòmljiv*, u. Grammont, *La dissimilation consonantique*, p. 57) „diligens, cautus“, slou. *pomljiv*. Cf. etiam ags. *ʒe-mun* „eingedenk“.

Persicorum *gumān* „dubitatio“ (cf. zd. *vīmanah-*), *šād-mān* „laetus“ (J. Darmesteter, *Etudes iraniennes* I, p. 261) altera pars *-māna-* est, in quo productam uocalem compositorum lubenter agnoscas cuius mentionem fecit F. de Saussure, *Mém. Soc. ling.* VII, 80 n.; cf. lit. *-mona* (*iß-mona*, *at-mona*, *nùmona* et *ißmonis*, *prāmonė*, *sąmonė*, *primonė*, Leskien, *Bildung* p. 273). Cf. fortasse recentius uocabulum skr. *mánas* „opinio“ (Hübschmann, *Pers. stud.* p. 97). — Sanskritici *mā́nas* „honor“, *mānayati* „honorat“ significatio nimis abhorret quam ut confidenter huc referatur; cf. fortasse u. pruss. *smūnin* „honor“, *smuninticey*, *smūnint* (Ench. 4 *tou turri twaian tāwan bhe mūtien smūnint*) in quibus *ū* ex *ā* exortum esse demonstrauit F. de Saussure (*Mém. Soc. ling.* VII, 82).

2 DE NOMINE SVFFIXI *-*es*- OPE FORMATO

Nominat. skr. *mánas*, zd. *manō*, gr. μένος; genet. skr. *mánasas*, zd. *manaṅhō*, gr. μένεος μένους; cf. fortasse lit. *menas* quod Szirwid „mistrzowstwo" interpretatur (Leskien, *Bildung* p. 162); de iranico *-maniš* (?), u. Hübschmann, *Pers. stud.* p. 97. Id uocabulum alibi deficere non mirum est quia tantummodo indo-iranica et graeca dialecti uocabulis in *-*es*- uti non desierunt, ceterae uero unum aliudue uocabulum sic informatum seruauerunt quod memoriae adhaerebat, iacturam autem non solum ipsius suffixi fecerunt, sed etiam plerorumque uocabulorum eius ope informatorum.

In sanskritica lingua quid ualeat *mánas* sic expressit Oldenberg: „*manas* . . . ist der geist als sitz von denken und erkennen, von wunsch und wille, von freude und furcht" (*Die religion des veda*, p. 525); *asuṣ* idem est quod *prāṇas*, id est „anima"; animalia igitur *asum* habent, homines contra, cum moriuntur, *manas* relinquit (R̥V, X, 59, 5); cf. apud Homerum E 296

τοῦ δ' αὖθι λύθη ψυχή τε μένος τε

id est *asuṣ* et *manas* (cf. *Yasna* 43, 3); uelut lat. *mens* qua nihil esse celerius ait Cicero, mobile et celer est *manas*: R̥V, I, 118, 1 *ráthaḥ* . . . . . *vātaraṃhāḥ* laudatur

yó mártyasya mánaso jávīyān

cf. Y. IX, 32

yeńhe frafravaiti manō

Sub iugum ducitur *mánas* ut ad deos efferatur, R̥V. I, 48, 4:

úṣo yé te prá yámeṣu yuñjáte
máno dānáya sūráyaḥ

cf. *manoyúj-*; itaque **mano-rthas* in *manorathas* mutatus est (Jacobi, apud Wackernagel, *Altindische grammatik* I, p. 57). Sensibus *manas* opponitur, R̥V. X, 130, 6

páçyan manye mánasā cákṣasā tān
yá imáṃ yajñám áyajanta pūrve

„je songe, en les voyant par le regard de l'esprit, à ceux qui les premiers ont sacrifié ce sacrifice" (Bergaigne, *Mém. Soc. ling.* VIII, 421). Ad *manas* omnes animi motus referuntur, cupido R̥V, I, 187, 6

tvé pito mahánām
devánām máno hitám

spes ib. VIII, 11, 7

á te vatsó máno yamat
paramác cit sadhástāt |
ágne tvā́ṃkāmayā girā́

fortitudo ib. I, 54, 3

árcā divé bṛhaté çūṣyàṃ vácaḥ
svákṣatraṃ yásya dhṛṣató dhṛṣán mánaḥ

(cf. apud Homerum μένος καὶ θάρσος), timor ib. V, 36, 3

cakrám ná vṛttám puruhūta vepate
máno bhiyá me ámater íd adrivaḥ

labor uatis qui carmen componit ib. II, 20, 2, etc. Saepe instrumentalis *mánasā* „lubenter" significat. In Avesta „intellectus intima uis" uocabulo *manah-* significari uidetur, ex. gr. Y. IX, 28

pairi šē uši vərənūiδi
skəndəm šē manō kərənūiδi

Plerumque *manah-* iuxta *vacah-* et *šyaoþna-* memoratur, sicut Y. 58, 6 *pairī manā pairī vacā pairī šyaoþanā* . . . . *spəntāi manyavē dadəmahī.* — Cf. etiam zd. *vohumanō, manō vahištəm, akəm manō, aršmanah-*.

Gr. μένος impulsionem quamdam interiorem significat quae uel φρένας (Α 103, etc.) uel στῆθος (Ε 513) uel θυμόν (Π 529, Χ 312, α 321) agitat quorum quasi uiuida uis est; nec solum ad homines pertinet sed etiam ad ea omnia quae sua sponte moueri uidentur, ut habeas:

ποταμῶν μένος	Μ	18
πυρὸς μένος	Ζ	182
ἠελίοιο μένος	κ	160
ἵππων μένος	Ρ	476

Cf. etiam μένος Βορέαο Ε 524. Verisimile est ipsos Graecos μένος ita usurpare coepisse, cum iam antea talia dixissent: Χ 204

ὅς (Ἀπόλλων) Ϝοι ἐπῶρσε μένος λαιψηρά τε γόνϜα

in quibus μένος uim interiorem corporis potius quam mentis significat.

E stirpibus in **-es-* adiectiua perhibentur plerumque in compositis uocabulis:

skr. *cétas*	*citrás*	*acetás*
gr. *κρέτος (κράτος)	κρατερός	arc. Εὐκρετης, att. Εὐκράτης
	κρατύς	
skr. *práthas*	*pṛthús*	*sapráthās*
gr. πλάτος (e *πλέτος)	πλατύς	ἀπλατής
zd. *drājō*	*darəγō*	*zānudrājå*

Non mireris igitur nullum esse adiectiuum **menés-*, sed:

skr. *sumánās*	zd. *humanå*	gr. εὐμενής

(de feminino Εὐμενίδες, cf. Λυσικράτης, Λυσικρατίς; ex indoiranico **sumanas-* deriuatum est skr. *saumanasám*; in zd. *haomanaṅha-* [unde *haomanaṅhimna-*] *āu* ex *āu* correptum uidetur esse, uelut pleraeque longae uocales sic collocatae)

durmanās	*dušmanå*	δυσμενής

(zd. *dušmanah-* e **dužmanah-*, cf. *upasma-* ex **upa-zma-*)

nṛmáṇās	*nairemanå*[1]	'Ανδρομένης
sámanās	*hamōmanå*	
amanás		ἀμενής
dhṛṣanmanas (uoc.)		Θρασυμένης

Gr. -μενης in -μανης nonnunquam mutatum est uerbi μαίνεσθαι, μανῆναι ui:

skr. *mahámanās* „superbus"	gr. μεγαλομανής

cf. γυναιμανής (Γ 39, Ν 769), ἱππομάνης (sed nomen proprium Ἱππομένης) iuxta πρευμενής; eamdem „cupiendi" significationem animaduertas in zd. *aēnōmanaṅha* „ulciscendi cupidine"; cf. etiam zd. *āmanah-* in Yt. XIV, 12 — X, 71 (sed uar. lect. *ā. manaṅha*).

Zd. *ahuš manahyō* illi *ahuš astvå* opponebatur; et *manahyō* fere idem ualebat quod *mainyavō*. — Skr. *manaskám* memorare satis est — atque etiam gr. Μενέστωρ (cf. Τελέστωρ, Τελέστης).

E **menes-* denominatiuum uerbum habes: ved. *manasyáti* (bis in Ṛgveda; ex eo *manasyúṣ*), *sumanasyámānas* — gr. εὐμενέω (εὐμενέτης, εὐμένεια; cf. etiam εὐμενίζομαι), ὑπερμενέω, δυσμενέω, quorum pristina species *-μενειω apud Homerum metrica causa non seruata est. Att. δυσμεναίνω e δυσμενής deriuatum esse uelut δυσχεραίνω e δυσχερής docuit I. Babad, *l. c.* p. 11; cf. etiam ἀγριαίνω, δειλαίνω, δυσκολαίνω, θυμαίνω, κηραίνω, etc., quorum uerbis ἀφραίνω, εὐφραίνω, θαυμαίνω,

1 Y. IX, 11 J_2 K_5 Pt_4, etc. cf. Yt V, 37 — XV, 27.

δειμαίνω specimina data sunt, eodem modo quo illo μελαίνομαι hom λευκαίνω, ἐρυθαίνω et talium nonnullorum; cetera exempla huiusmodi enumerauit H. von der Pfordten, *Zur gesch. der gr. denom.* pp. 117 sqq., e quibus tamen multa homerica detrahenda sunt, ex. gr. κυδαίνω e κυδνός, non e κῦδος — πειραίνω e πείρα-τος, non e πεῖραρ — ὑδραίνω e nominatiui ὕδωρ et genetiui ὕδατος colluuione ortum, etc. — Hom. μενεαίνω e prisci *μενείω et recentioris *μεναίνω colluuione natum est; prorsus simile enim in -εαίνω nullum profertur. Minus perspicuum est hom. μενοινάω, quod e μενοινή uocabulo nusquam ante Apollonium Rhodensem referto non ducere audeas (u. Sütterlin, *Zur gesch. der verb. denom.* p. 8) nec quomodo id uerbum natum sit omnino scitur (cf. Schulze, *Quaest. ep.*, 367 sq.).

Lat. *Menerua*, *Minerua* nomen proprium quod huc referre solent optimo iure seiunxit Michael Bréal (*Actes du X Congrès des Orientalistes, Section I bis*, p. 6 sq.) cum nec **menes-* apud Latinos extet, nec suffixum *-uo-* (uel potius *-uuo-*, u. L. Havet, *Mém. Soc. ling.* VI, 115 et Lindsay, *The latin lang.* p. 306), nisi fortasse in *noctua*, *annuos*, *menstruos* (*patruos*, cf. skr. *pítr̥vyas*, perperam e **patrōwos* duxit Stolz, cf. *octāuos*, *octō*; *flāuos*, *flōrus*).

3 DE NOMINE SVFFIXI *-*men*- OPE FORMATO

Vedici *mánma* pristina significatio „cogitatio" etiamnunc in compositis perspicitur *sumánmā* „beneuolens", *durmánmā* „maleuolens" et fortasse in *satyámanmā* sed eo plerumque id significatur quod deorum causa cogitatur atque e diuino quodam spiritu fluit, id est „preces, poetae hymnus"; in RV, III, 14, 5 *mánas* „mens" et *mánma* „hymnus" simul inuenias:

yájiṣṭhena mánasā yakṣi devā́n
ásredhatā mánmanā vípro agne

cf. etiam ib. IV, 11, 2 et 3 *mánma* iuxta *manīṣā́* et *ukthám*. Itaque *mánma* dicitur (*vac-*, ib. X, 54, 6), pronuntiatur (*çaṃs-*, II, 4, 8), auditur (*çru-*, VI, 52, 14), fabricatur (*takṣ-*, II, 19, 8).

V. hib. *menme* „mens" cur C. Brugmann, *Grundr.* II, p. 350 e **menəmen-* duxerit uix intellegas cum neque **men-* disyllaba sit radix et nonnunquam ipsarum disyllabarum radicum *ə* expulsum sit ante *-*men*- suffixum: skr. *jánma* (iuxta

jánima), lat. *germen* (L. Havet, *Mém. Soc. ling.* VI, 31 — Grammont, *La dissimilation consonantique*, p. 54), cf. skr. *janitá*, lat. *genitor*.

In ceteris dialectis euanuit hoc uocabulum cuius incertum uestigium apud Graecos inuenit F. de Saussure, nomen proprium Ἀγαμέμνων (e *-μενμων); de qua re cf. tamen Kretschmer, *Die gr. vaseninschr.* p. 169; W. Prellwitz, *Bezz. beitr.*, XX, 306; W. Schulze, *Gött. gel. anz.* 1896, p. 236.

De lett. *mīma* „aenigma" scripsit Leskien: „*mīma* für **minma* zu *menù*, *miñti* „denken"? oder zu *mīt* „tauschen"?" (*Bildung* 427). Illud autem multo probabilius est, si conferas uerbum lit. *menù*: „*o tas pons tą grażię mįslę atmindams jei sakė*" (Schleicher, *Lesebuch* p. 117). Quod ad phoneticam rationem pertinet, cf. lit. *żymė̃* „signum" e **żinmė*, quod ad suffixum, u. sl. *ramo* iuxta *ramę*.

4 DE NOMINIBUS SVFFIXI *-*ei*- OPE FORMATIS

Got. *muns* (II Cor. II, 11 *munins* „τὰ νοήματα"), u. isl. *munr* „mind; delight" germ. **muni*- (ex i.-e. **m°ni*-) exhibent; cf. fortasse u. hib. *muin* (?) W. Stokes apud Fick., *Et. wört.*[4] II, p. 210.

Skr. *múniṣ* „uates" ex eodem indo-europaeo uocabulo exortum esse nemo neget, cum eadem dictione et res et homo significari possint, accentu plerumque mutato aut genere. De *u* uocali post labialem haec notanda sunt: i.-e. -*°r*- in skr. -*ir*- fit post *s*, *t*, *ç*, sed -*ur*- post *p*: *tirás*, *çíras* sed *purúṣ*, *sphuráti*, etc.; similiter habes: *simas*, got. *sums*, gr. ἀμο-; *timirás*, cf. u. sl. *tĭmĭnŭ*; *çímī*, cf. κάματος; 1ª plur. *ūcimá*, cf. λελύκαμεν, got. *budum*, sed *múniṣ*, cf. got. *muns* (cf. fortasse *púnar* et pāl. *brahmuna*, Wackernagel, *Altindische grammatik*, I, p. 21). Non enim id comprobes quod uulgo docent ex i.-e. *°n*, *°m* skr. *an*, *am* fieri et quae exempla huiuscemodi offerunt ea omnia facile alio quodam modo explices. Namque de *an*- in *an-antás*, *án-ṛtas*, etc. cf. u. sl. *ą-rodŭ*, osc. *ancensto*- (cum *a* prosthetico iuxta **n̥*-); de *g* in *gámanti*, *gámat* u. *Mém. Soc. ling.* IX, 378; suffixum -*ana*- ex *-*eno*- ortum est, cf. got. *fulgins*, u. sl. -*enŭ*, etc. (e palatalibus *c*, *j*, *h* tamen in *rocanám*, *yójanam*, *dohánas* atque in ceteris huiusmodi exemplis nihil concludere licet quia e uerbis sumi poterant);

uerborum *damāyáti, çamāyáte, panāyata* loco expectes **dimāyati, *çimāyáte, *punāyata* quae cum *in* et *un* in *-an-* radicibus non solerent permanere, *a* e *damáyati, damitá-*; *çamnīte, çamitá*; *pánanta* acceperunt; skr. *tanúṣ* e **tonus*, non e **t°nus* (gr. ταvυ-) ducas, cf. lit. *kartùs* (u. sl. *kratŭkŭ*) : skr. *kaṭu-* — gr. πολύς: skr. *purúṣ* — skr. *réku-*, lat. *re-licuos* — lit. *platùs*: skr. *pṛthúṣ*, gr. πλατύς — u. sl. *lěpŭkŭ* : skr. *ripúṣ* — skr. *dharúṇas* (u. sl. *sŭdravŭ*) : cf. skr. *dhruvás* (substantiua in *-u-* contra *e* uocalem habent: γένυς, νέκυς, etc., si anomala γόνυ, δόρυ, etc. quorum uocalis praesuffixalis commutari poterat excipias; **domu-* suum *o* e **domo-* sumpsit). — Indo-iran. **maini-* „ultio" e radice **men-* seiungit Geldner, *Festgruss an O. v. Böhtlingk*, p. 31 sqq.; cf. J. Darmesteter, *Traduction du Zend-Avesta* sub Y. 31, 15 et 44, 19.

Apud Graecos nullum superest uocabuli *m°ni-* certum uestigium, sed fere eadem graecis μάντις et μῆνις (μᾶνις) significantur quae sanskritico *múniṣ* et gotico *muns*, ut suspicionem uix obruas haec duo uocabula cum **m°ni-* uariis modis coniungenda esse.

Gr. μάντις neque ἱερεύς est neque ὀνειροπόλος (Hom. A 62) neque οἰωνοπόλος (α 202) sed omnino is qui concita mente ea intellegit quae alios latent. Ex i.-e. *ṇ̥* ante mutam exoriri potuisse -άν- nemo credit, postquam Streitberg demonstrauit *ṇ̥* gr. ά fieri *Idg. forsch.* I, 87 et sqq.; fortasse igitur μάντις e colluuione ueteris *ματι- = skr. *mati-* et *μανι- = skr. *múni-* (cf. etiam μαίνομαι, μανῆναι) explices, cui fauere poterant ea composita quibus indicantur homines: skr. *durmatíṣ, sumatíṣ, prámatiṣ*; cf. πρόμαντις, nisi προ- e προφήτης synonymo sumptum est. Ceterum gr. μάντις, cum simile uocabulum in graeca lingua non extet neque suffixo *-ti-* ad homines significandos utantur, neque tamen ex indo-europaea lingua duci possit, e colluuione quadam ortum esse negare non queas, de qua nunc nihil certi contendere licet. — E uocabulo μάντις multa deriuantur : μαντεύομαι, μαντεία, μαντεῖον, μαντοσύνη, etc.

Dor. μᾶνις, ion. μῆνις (e quo μηνίω, μήνιμα, μηνιθμός) ᾱ habet quod in radice **men-* nullum obtinet locum (de lesb. μαῖνις [?] u. Hoffmann, *Die gr. dial.* II, p. 422); quod e **mṇ̥-ni-* uel **mṇ̥-sni-* ducere ne minime quidem est uerisimile; in got. *moþs* autem, ags. *mód*, u. thiod. *muot* et aliud suffixum inest,

et de *ō* ambigi potest utrum ex *ā* an ex *ō* ortum sit; ceterum talis radicis **mā-* nulla sunt uestigia apud Graecos. Quae cum ita sint, fortasse credas iuxta **m°ni-* extitisse i.-e. **mēni-*, et *ē* in gr. ᾱ uerbi μαίνομαι ui mutatum esse. Indoeuropaei **mēni-* similia memores: u. sl. *rěčĭ, žalĭ*; got. *wens*; gr. δῆρις; arm. *jir* „gratia", *çir* „sparsus" (e **skēri-*, cf. skr. *kirati, saṃ-skṛtás, pari-ṣkṛtas*). — Gr. μῆνις feminini generis est, got. *muns* contra masculini; quod ne mireris, animaduertendum est stirpes in *-ei-* plerasque feminini generis esse, fortasse quia saepe iuxta eas synonyma stirps extat in *-ā-*, ex. gr. skr. *jániṣ, -jāniṣ*, zd. *jainiš*, got. *qens* : skr. *gnā*, zd. *γəna*, u. sl. *žena*, u. isl. *kona*, u. hib. *ben* (gen. *mná*); skr. *giríṣ*, zd. *gairiš*: u. sl. *gora*; skr. *nābhiṣ*, u. pruss. *nabis* : u. thiod. *naba*; u. sl. *žalĭ* : lit. *gėlà*, u. thiod. *quāla*; skr. *pārṣṇiṣ*, ags. *fyrsn*: got. *fairzna*; gr. φῆμις : φήμη; etc.

Haud ab re est hic de subobscuro indo-iranico uocabulo nonnulla uerba addere. Quod ad formam pertinet, indo-iran. **manyu-* (skr. *manyúṣ*, zd. *mainyuš*) e uerbo **manyate* ortum est; etenim suffixum indo-iranicum *-yu-* non extat; skr. *mṛtyúṣ*, zd. *mərəþyuš* e **mṛti-* (lat. *mors*, etc.) et **jyātu-* (zd. *jyātu-*, skr. *jīvātuṣ* secundum *jīvás, jīvati*) commixtum est; u. pr. *auminius* „betrübt" facile in balticis linguis informari poterat; uocabula in *-u-* contra multa in indo-iranicis linguis e uerbis deriuata sunt (Lindner, *Altindische nominalbildung*, p. 62 sq. — Whitney, *Skr. gr.* § 1178, e, f, g, h, i); cf. zd. *vayuš*, *pāyuš*, *tāyuš*; skr. *manyú-* cum *mányate* cohaerere e compositis *upamanyúṣ*, *parimanyúṣ*, *vimanyuṣ* elucet. Zd. *mainyuš* „spiritus", i. e. „is qui cogitat neque ullum habet corpus", pristinam uocabuli significationem exhibet non magis mutatam quam ad theologicas res exprimendas necesse erat; ex eo ortum est *mainyavō* „caelestis" (e **mānyava-*?). Sanskritico *manyúṣ* „iram" significari, ex ipso uocabulo non explices, quoniam stirpes in *-u-* in sanskritica lingua informatae adiectiuorum munere fungi solebant, sed uocabuli cum gotico *muns*, gr. μῆνις cognati colluuione effectum est, quod iuxta *múniṣ* „uates" quondam extitisse facile credas. Quocirca hic memorari debebat indo-iran. **manyu-*.

5 DE NOMINIBVS SVFFIXI **-ter-* (**-tel-*) OPE FORMATIS

Gr. Μέντωρ, Μέντορος nomen proprium hic imprimis memorandum est quia in ipsa lingua graeca id informari potuisse non uidetur; cf. etiam Μέντης. E μαίνομαι uerbo ductum est ἀμφιμάντωρ.

Lat. *mentor* (*mensor* H) „inuentor" Plac. gloss.; magis uulgatum est *commentor* e *comminiscendo*.

Sanskritici *mantár-* „is qui cogitat" (*Çat. br.* etc.) loco vedae *manótar-* deriuato utuntur. Gāth. *mantā* (Y. 32, 7 et 19 —33, 6—51, 16) pro nominatiuo stirpis *mantar-* haberi potest, quam locorum obscurorum interpretationem hic memorare satis est.

In ceteris linguis cum huius generis stirpes e radice ductae omnino non extent, non mirum est alibi hoc uocabulum non inueniri.

Agentis nomine usitatius est instrumenti nomen:

Skr. *mántras* „carmen, consilium" (*Pet. wört.*), zd. *mąþrō* saepe de iis quae deorum causa commentantur dici solet; *Veda* apud Indos *mántras* uocatur, apud Persas *mąþrō spəntō* habetur quidquid dixit Ahura Mazdāh. Zd. *mąþran-* is est qui carmen pronuntiat, ex. gr. Y. 41, 5 *þwōi staotarascā mąþranascā ahurā mazdā aogəmadaēcā usmahicā vīsāmadaēcā*. — E skr. *mántras* „consilium" ortum est *mantráyate* (de accentu cf. *artháyate, mṛgáyate, nīḷáyate*; u. Whitney, *Skr. gr.* § 1056).

Lett. *mīkla* „aenigma" et lit. *pameñklas* (F. de Saussure, *Mém. Soc. ling.* VIII, 444), *pamiñklas* „monumentum" (cf. etiam *màn añt pamiñklo* „zu meinem gedächtniss" Kurszat, *D.-lit. wört.*) e uerbis in ipsis balticis linguis deriuata esse e significatione lubenter credas atque e praefixo lit. *pa-*.

6 DE NOMINIBVS SVFFIXI **-to-* OPE FORMATIS

Synonyma suffixa indo-europaeae linguae erant **-to-* et **-no-*, **-tei-* et **-nei-*, quorum in radicibus in *-n-* sonantem desinentibus tantummodo **-to-*, **-tei-* inueniuntur. — Quae autem adiectiua huius suffixi ope formata habes, ea fere omnia in unaquaque dialecto separatim denuo informari poterant, ita ut, quanquam ne in una quidem, si armeniam et slauicam excipias,

deficiat, tamen nulla lingua huiusmodi indo-europaeum adiectiuum extitisse comprobetur:

skr. *matás* (deficit in Ṛgveda); zd. *mata-* (Vsp. IV, 1; cf. *humata-*, *dušmata-*, *miþōmata-* „missgedanke", *tarōmata-*, *pairimata-*).

lit. *miñtas* (cf. inf. *miñti*).

got. *munds* (e praeterito-praesente *munan*).

lat. *commentus* e *comminiscendo* (de significatione, u. Brugmann, *Idg. forsch.* V, 125); **rementus* deficit, cuius loco *recordatus* participio utebantur Latini.

u. hib. *format* „inuidia" (?).

gr. -ματος in αὐτό-ματος ceteris maiorem antiquitatis speciem praebet, non ita tamen ut neges hoc in ipsa graeca lingua e radice *μεν- informari potuisse ea aetate qua non prorsus obruta erant radicis omnia uestigia.

Ad -*met* in u. hib. *dermet* „obliuio", *foraithmet*, *taidmet* „memoria", *comaithmet* „commemoratio" explicandum (cf. u. hib. *óac*, cymr. *ieuanc*, skr. *yuvaçás*) finxit Stokes **mento-* (cf. lit. *menta* „animus" et fortasse lat. *commentum*) Fick, *Wört.*⁴ II, p. 209, quod contra analogiam uidetur esse, cum substantiua **-to-* suffixi ope formata *o* uocalem in radice habere soleant: gr. νόστος, u. sl. *dlato*, *mlatŭ*, lit. *tvártas*, etc.; cf. Zimmer, KZ. XXX, 141.

Ex insolito **mento-* exorta uidentur esse got. *gaminþi* (neutr.) „memoria" et u. isl. *minne* „memoria", u. sax. *minn(i)a* „memoria, dilectio", u. thiod. *minna* (u. Noreen, *Abriss* p. 173).

7 DE NOMINE SVFFIXI **-tei-* OPE FORMATO

Skr. *matíṣ* (RV, AV.), *mátiṣ* (*Çat. br.* iuxta *matíṣ*) — zd. *maitiš* Y. 43, 15 (plerumque in compositis).

Lat. *mens* e **mentis*; cf. post *n*, *r*: *pons*, *mors*; post longam uocalem: *dōs* (u. sl. *datĭ*), *quiēs* (cf. zd. *šāitiš*); is qui mentis non est compos *dēmens*, *āmens* uocatur.

In ceteris dialectis composita inuenias quae usque ad indo-europaeam linguam referre non licet:

V. sl. *pamętĭ* iuxta *pomĭnją*; cf. *paguba*, *pogubiti* (ex eo uocabulo multa deriuata sunt in slauicis dialectis, ex. gr. e pol. *pamięć* habes *pamiętać*, *pamiętliwy*, *pamiętnik*, *pamiętny*).

Lit. *atmintìs* ex *àtmenu* uerbo.

Got. *gamunds*, ags. *ʒemynd*; sed etiam got. *anaminds* (cf. *gaminþi*).

V. hib. *airmitiu*, *foimtiu*, etc.; cf. lat. *mentiō*.

Cf. etiam skr. *ánumatiṣ*, *prámatiṣ*, *átimatiṣ*; zd. *anumaitiš*, *upamaitīm* (*Idg. forsch.* III, 19); in Avesta *arəm-maiti-* Tahm. 46, *ārmaiti-* (id est *arəmmaiti-* quattuor syllabarum uocabulum, Geldner, *Ueber metrik* p. 31; cf. arm. *Spandaramet*) actionem significat eius qui *arəm mainyete* et *tarōmaiti-* Nīr. 41, *tarəmaiti-* Y. 33, 4 eius qui *tarō mainyete*. Itaque non mireris stirpem indo-iran. *mati-* infinitiui munere fungi: zd. *anumatyaēca* Y. 8, 7. — cf. Nīr. 25.

Apud Graecos **mn̥tei-* non permansit quia nullum uerbum erat cui referretur; cf. χύσις iuxta χέω, ἔχυτο. De μάντις u. supra p. 50.

Infinitiuum lit. *miñti* hic memorare non licet quia, quanquam in huiusmodi infinitiuis *-*tei-* suffixum extat, tamen ei non ex indo-europaea lingua accepti sunt sed omnes in baltica morphologia denuo creati; itaque radicis uocalis non ex indo-europaeis *-*tei-* stirpibus sumpta est sed ex aoristo: *miñti* e *miniaũ* iuxta *gérti* e *gẽriau*; cf. lit. *kir̃sti* (*kirtaũ*) iuxta u. sl. *črěsti* (aor. *črěsŭ*), etc.; cf. contra in slauica lingua infinitiuos *e* uocali praeditos: *mrěti*, *tlěšti*, *čisti*, *suti* (praes. *sŭpą*), ita ut *pęti* e **pentī* non e **pn̥tī* ducendum sit; in eis infinitiuis tantummodo radicem *e* uocali carentem reperias quorum sonans longa est, ex. gr. *byti*, *kryti*, *žrŭti* (cf. skr. *gīrṇás*).

Lat. *mentiō* e participio **mentus* (*commentus*) noui italoceltici suffixi -*tiōn-* ope deriuatum est, cf. *gens* : *nātiō* (*nātus*) — *dōs* : *datiō* (*datus*) — *messis* : *messiō* (*messus*). Itaque significatio arte cum significatione uerborum *meminī*, *reminiscor*, *comminiscor* cohaeret; plerumque *mentionem facere* dicitur, ex. gr.

Aul. 204 *ubi mentionem fecero de filia*
Bacch. 252 *istius hominis ubi fit quomque mentio*
Aul. 685 *fac mentionem cum auonculo mater mea.*

Latini *mens* et latini *mentiō* nihil igitur commune est quoniam illud ex indo-europaea lingua fluit neque cum ullo uerbo unquam coniunctum est, *mentiō* contra in ipsa latina lingua e uerbo latino est deriuatum.

Sanskritici *matiṣ* et latini *mens*, quae uocabula ex indo-europaea lingua ducenda sunt, significatio eadem est seruata, quam rem his exemplis facile comprobes: „animi habitus, uoluntas" Caes. *De bell. gall.* I, 41, 1 *hac oratione habita mirum in modum conuersae sunt omnium mentes*; cf. skr. *sumatiṣ* „beneuolentia", *durmatíṣ* „maleuolentia"; *nábhavad bhakṣaṇe matiḥ* (*Pet. wört.*) — „opinio", lat. *longe mihi alia mens est*: skr. *iti matir mama* „sic opinor" — „ratio", lat. *mens sana*, skr. *matir asya na hīyate* „is mentem non amittit". — In Veda simplex *matíṣ* plerumque „hymnum" significat; tum autem eius instrumentalis est *matī*, cf. contra *matyá* „uoluntate", ṚV. V, 58, 5; similiter *sumatī* „hymno" ib. IX, 74, 1 — IV, 1, 2 sed *sumatyá* „beneuolentia" ib. I, 31, 18 — V, 42, 4 — X, 29, 8; cf. etiam *prámatyā* ib. I, 53, 5. — Quod ad significationem attinet, lat. *mens* etiam stirpis **menes-* quam Latini non seruauerunt locum obtinet, ut *mens* uocabulo ea interior uis significetur quae sensibus opponitur; multa exempla affert Merguet, *Lex. der phil. schriften v. Cicero.*

Indo-europaeae stirpis **menteu-* (uel **monteu-*) statuendae uix iusta causa est, quoniam praeter indo-iranicam dialectum nullum uocabulum traditur quod ex ea stirpe ducere oporteat; lituanici *muntus* enim (Szirwid) minima auctoritas est habenda et supinum *miñtų* ex infinitiuo (et aoristo) deriuatum est uelut omnia eiusdem dialecti supina. Attamen id uocabulum hic memorare non dedecet, quia suffixo **-teu-* multum usos esse Indo-europaeos constat. Namque ex eo suffixo fluxerunt multi infinitiui sanskritici (*-tum, -tave, -tavai, -toṣ* — *-tvā*) et supina u. sl. *-tŭ*, lit. *-tų*, lat. *-tum* (cf. *-tū*); de qua re id dignum est quod memoretur supino similiter uti et letto-slauicam et latinam dialectum.

Ne mireris skr. *mántu-*, gāth. *mantu-* iuxta indo-iran. *mati-*, cf. skr. *gántuṣ, gátiṣ*; *vástuṣ, -uṣṭiṣ*; *dhātuṣ, dhitiṣ*; *sótuṣ, -sutiṣ*; et infinitiuos: *véttum, véttave* (cf. *vittiṣ*); *bhávitum, bhávitoṣ* (cf. *bhūtiṣ*).

Skr. *mántuṣ* cogitandi actum significat ṚV, I, 152, 1 (cf. uocatiuum *mantumas* „sapiens") aut eum qui utilia et bona commentatur ṚV, X, 63, 8

yá íçire bhúvanasya prácetaso
víçvasya sthātúr jágataç ca mántavaḥ

Ex eo uocabulo sunt composita: *amantúṣ* „is qui sacrificia et hymnos ignorat", *purumántuṣ* „qui multos hymnos commentatur", *durmántuṣ, sumántuṣ.* — Gāth. *mantu-* in duobus subobscuris locis Y. 33, 4 et 46, 17 pahl. *patmān* „condicio, lex" uocabulo interpretatur uetus tralator.

Suffixo **-two-* formatum est zd. *maþwəm* „cogitandi actio" (Y. 0, 4) et „carmen" (in fragmento sub Vd II, 6 laudato).

CONCLVSIO

Dictionum quarum communis est radix **men-* „mente agitare" multae in plerisque indo-europaeis dialectis permanserunt, sed, si excipias eam dialectum quae maxime ad orientem spectat, scilicet indo-iranicam, in nulla ipsa radix **men-* seruata est. Itaque indici grammatici, cum indagare et docere uoluerunt quomodo sanskriticae linguae dictiones informarentur, radices inuenerunt et soli inter omnes grammaticos qui indoeuropaeis linguis studuerunt inuenire potuerunt; neque indoeuropaearum linguarum comparatiua grammatica prius exoriri potuit quam, sanskritica lingua cognita, pristina dictionum informatio reserata est. Qui Ionae Babad libello titulus inscribitur, *De graeca radice* man-, eum non comprobes, quia radix **man-* (nunc **men-* diceres) nulla iam apud Graecos extabat, sed tantummodo uerba et uocabula quae indo-europaea aetate aequo iure e radice **men-* pendebant in hac dialecto permanserunt atque ex eis separatim seruatis dictionibus aliae multae deriuatae sunt quas neque indo-europaeae radici **men-* addicere queas quoniam a Graecis demum sunt creatae neque graecae radici *μεν- quoniam e dictionibus iam formatis exortae sunt. Etenim dum, **men-* elementis suffixo quodam addito, noua dictio creari poterat, reuera uiuebat radix **men-*; postquam autem Graeci, Latini, etc. omnes nouas dictiones non e communi quadam parte **men-* sed e dictionibus iam extantibus ducere coepti sunt, nulla iam erat haec radix; et quanquam in sanskritica lingua diutius uixit, in prākritica etiam emortua est.

Neque de sola radice **men-* talia possis contendere sed de qualibet indo-europaea radice. Inter indo-europaeam igitur linguam atque eas recentiores quae scriptis documentis seruatae sunt id maxime differt, in illa plerasque dictiones e quadam parte incipere qua ipsa per se non uterentur sed quae terminationibus uel suffixis et terminationibus aucta propriam dictionis significationem exprimeret cum ceterae partes grammaticis rationibus aptarentur, in his contra ex eis dictionibus aliquas permansisse sed eas communi parti non relatas neque ullam nouam dictionem e radice fluere potuisse. Quocirca neque eis assentiaris qui „radices“ omnino in indo-europaea lingua non extitisse contendant neque eis qui radices in recentioribus dialectis permansisse fingant.

INDICES

I CAPITVM

II VOCABVLORVM

DE QVIBVS ALIQVID DOCETVR

Bonnae typis Caroli Georgi typ. acad.